[illegible]

SUMMA PRAECEPTORUM IN ADMINISTRANDO VARIOLAE VACCINAE NEGOTIO PER REGNUM HUNGARIAE OBSERVANDORUM,

QUAM

ALTIORE JUSSU CONCINNAVIT

MICHAEL LENHOSSÉK,

M. D. INS. ORDINIS. R. SUECICI GUSTAVI VASAE EQUES, S. C. ET R. A. MAJ. AD. EXCELS. CONSILIUM R. LOC. HUNG. CONSILIARIUS, I. REGNI HUNG. PROTOMEDICUS, STUDII MED. CHIR. IN R. S. UNIVERSITATE PESTANA DIRECTOR, ET FACULTATIS MEDICAE PRAESES, COMPLUR. ERUDIT. ACAD. ET SOCIET. MEMBRUM. ETC.

BUDAE,

TYPIS TYPOGRAPHIAE REGIAE UNIVERS. HUNGARICAE

MDCCCXXIX.

Prooemium.

Summam illam et vere paternam sollicitudinem, qua sua Caes. Reg. Sacratissima Majestas, clementissimus noster et Apostolicus Rex, communem populorum, coronis suis subjectorum, salutem promovere, et quaevis mala ab iis avertere constanter ac ubique nititur, vel haec testantur benigna praecepta, circa promovendum salutare vaccinae negotium et praecavendum malum variolosum pro I. Regno Hungariae edita. Commentatio haec, benigno jussu Regio in usum et commodum publicorum Regni Magistratuum et personarum medicinalium elucubrata, principia quaevis continet, in rite providenda et administranda insitionis opera observanda. Quemadmodum ea, quae publicam ejus negotii curam

respiciunt, Regia auctoritate sancita, et cynosurae instar praescripta, atque ea, quae ipsos duntaxat concernunt insitores, e vera depromta sunt multorum annorum experientia; ita sane sperare licet, utriusque ordinis principia suos ubique inventura esse promtissimos curatores et studiosissimos observatores, rerumque gerendarum diligentissimos ministros, quo et institutum, generi humano ultilissimum, alacriter promovebitur, ut demum altissimae penitus respondeat intentioni.

Budae die 3. Febr. 1829.

Conspectus praeceptorum.

Caput I.

De variolae vaccinae detectione, origine, propagatione, effectu, utilitate.

Caput II.

De publica rei vaccinae administratione.

Caput III.

De adminiculis variolae vaccinae negotium promoventibus.

Caput IV.

De iis, quae insitores concernunt

I. De variolae vaccinae fomite.

II. De insitionis methodo et variolae vaccinae decursu.

III. De praecavendis, consopiendis et eliminandis variolis humanis.

Caput I.

De variolae vaccinae origine, detectione, propagatione, natura, effectu, utilitate.

§. 1.

Denominatio.

Exanthema sui generis, pustulosum, de quo agitur, duplicem potissimum a scriptoribus recepit appellationem. Respectu originis suae *variola vaccina*, Anglis *Cowpox*, Germanis *Kuhpocke*, Hung. Tehénhimlő, Gall. la *vaccine*, Italis la *vaccina* dicitur; spectata utilitate sua et effectu *variola tutoria*, *védhimlő*, *Schutzpocke* audit.

§. 2.

Variolae vaccinae detectio.

Pustulas quasdam in vaccarum uberibus nonnunquam oriri, quae contagiosae sint, inque

hominem propagatae adversus humanas tueantur variolas, in Halsatia ante plura jam notum erat decennia, et poterat Germania facile, si adjuncta cetera conspirassent, tanti momenti detectionem in perpetuum sibi vindicare. Scholarum enim quidam magister, *Plett* nominatus, anno 1791. in alumnis tribus vaccinam cum optato inseruit effectu, quod quidem *Jennero* quinque annis serius primum successerat *). Quin imo constat, cell. Chirurgos *Sutton* et *Fewster* anno 1768. vulgatam jam tunc opinionem, variolam vaccinam praesidio esse adversus variolas humanas, suis confirmasse tentaminibus **), et plures alios fuisse, qui suas circa id objectum fecerint observationes ***).

Anglo tamen medico, *Eduardo Jennero* (anno 1749. in Scotia loco Berkeley nat., anno

---

*) Allgemeine Unterhaltungen. Göttingen 1796. p. 306.
Schleswig-Holsteinische Provinzialberichte 1815. I. Heft. p. 77. ff.
Joh. Nep. Ehrhart's Med.-Chir. Zeitung. Salzburg, 1815. III. Bd. p. 28—30.

**) *L. Sacco:* Trattato di vaccinatione con osservationi sul giavardo e vajuolo pecorino. Milano, 1809. A. d. Ital. übersetzt von *W. Sprengel.* Leipzig 1813. 8.

***) Conf. *Joh. Nep. Edl. v. Raimann's* Handb. d. speciellen Med. Therapie. 3te Aufl. 1826. II. Bd. p. 126. sq.
G. A. Richter's Spec. Therapie. II. Bd. Berlin 1815. p. 354. sq.
Val. Nob. ab Hildenbrand: Institutiones Practico-Medicae. Viennae, 1825. Tom. IV. p. 291. sq.

1823. die 26. Jan. mort.) merita tribuitur, in omne aevum duratura laus, qui naturae id beneficium pro eommuni humani generis eommodo e tenebris eripuit, et tanquam remedium adversus dirum variolarum morbum verae experientiae duetu eonstabilivit. Postquam enim villieis, vacearum euram gerentibus, inde a tempore saeeulum exeedente notum fuisset, vaeearum ubera frequenter pustulis peeuliaribus obsideri, materiem fundentibus, quae in homine, ubi eum laesa quadam eutis parte in eontaetum venerit, similes mox provoeet pustulas, hisque pustulis hominem pro omni vitae tempore tutum reddi adversus variolas eommunes, et vicissim esse, ut variolas humanas perpessi a vacearum pustulis non faeile infieiantur; laudatus *Jennerus* observationem eam, usque id tempus tanquam populi superstitionem spretam, majoris eensebat indaginis, et uberiori subjeeit disquisitioni.

Dum quippe solertissimus vir in Comitatu Gloueestershire inde ab anno 1768. solus advertisset, in vaeearum armentis dietas pustulas saepius reeurrere, et ab iis mulgentium digitos frequenter infiei, exuleerari, atque multos inibi inventos fuisse homines, qui a variolarum communium eontagio, ejusdem fomite insiti quoque, penitus immunes mansere; tentamina varia, eam rem eollustrantia, instituit, eolleetisque pluribus, eum majore solertia institutis observationibus,

rei veritatem, superatis non paucis difficultatibus, tandem evicit.

Quia vero tam varius esset variolae vaccinae effectus, ut alii iis perpessis in morbum variolosum nunquam inciderent, alii vero iis pustulis immunes non essent redditi; ante omnia pustularum, in vaccarum uberibus occurrentium indoles *Jennero* erat disquirenda; reperit autem varias esse exulcerationes, quae vaccarum obsidere solent ubera, atque unum tantum esse variolarum vaccinarum genus, quod simul tutorium sit contra variolas humanas remedium.

Supererat nunc tentamen: utrum variola, a vacca suscepta, de homine in hominem transferri ita possit, ut virtutem suam tutoriam ultra retineat et exserat? Notatur autem in annalibus medicis decretorium experimentum, ab ingenioso *Jennero* die 14. Maji anno 1796. institutum: Puella *Sarah Nelmes*, cum vaccam mulget, pustulam contrahit in manu, cujus lympha puer, *Phipps* compellatus, in brachio inseritur; evolvitur in hoc pustula similis, et instituitur post haec insitio cum variolae humanae fomite, quin ullum amplius comparuisset variolarum communium vestigium. Similibus experimentis pari cum effectu in pluribus hominibus post duos annos institutis, eoque prius jam comperto, quod homines, pustulas vaccinas ante triginta et quod excedit annos perpessi, et modo variolarum humanarum fomite

inserti, eam insitionem immunes tulerint, utilissimam detectionem cel. *Jennerus* anno demum 1798. ad publicam pertulit notitiam *).

§. 3.

Variola tutrix in Anglia stabilitur.

Quamvis *Jenneri* fidis observationibus firmata detectio promeritam excitavisset attentionem, ut in similibus esse solet, optimae rei osores tamen in patrio solo inventi fuere, qui studio, plausu haud digno, fidem evictae adimere nitebantur veritati. Indefessi vero detectoris et aliorum virorum laudabiles conatus vicerunt adeo, ut detectio, jam jam in ancipiti haerens, tanquam salutare, et nulli dubio obnoxium remedium, evinceretur. Recolet humanitas grata omni tempore memoria, Britanniae Senatum vaccinae negotium dignum omnino reputasse, de quo in Regni Comitiis publica ineantur Consilia. Dum autem arbitri, quibus Senatus auctoritate delatum erat, circa id negotium seriorem instituere indagationem, comperis-

---

*) *Edward Jenner*, an inquiry into the causes and effects of the Variolae vaccinae etc. London, 1798. Aus dem Engl. übersetzt von *G. Fr. Ballhorn*. Hannover, 1800. 8. *Ed. Jenneri* Disquisitio de causis et effectibus variolarum vaccinarum. Ex Anglico in Latinum conversa ab *Al. Careno*. Cum fig. coloratis. Vindobonae, 1799.

Joh. de Carro's Beobachtungen und Erfahrungen über die Impfung der Kuhpocke. Aus dem Französischen übersetzt von Dr. *Jos. v. Portenschlag*. Mit einer ausgemahlten Kupfertafel. Wien, 1801. 8.

sent: variolam vaccinam, ceu tutum ac insons remedium contra variolas humanas, quae decimam impopulationis partem abripiunt, merito summam constituere inter omnes, quae in medicina unquam factae sint, inventiones, ac simul enunciassent, Doctorem *Jenner* unicum esse felicis detectionis auctorem; Decretis Comitialibus (1802. et 1807.) insigne ejus de humano genere meritum condigna laude celebratum, atque dono (30,000 libr. Sterl.) praemiatum fuerat. Ut autem salutare negotium quam maxime promoveatur, comitiali Decreto (de 9. Junii anno 1808.) nationale vaccinatorium institutum Regia sub auctoritate constitutum, et Collegii medicorum ac Chirurgorum Londinensis curae creditum fuerat *). Ab eo vero tempore virorum in arte medica celeberrimorum assidua contentione res vaccinae apud Anglos in dies magis ac magis firmata, et pro humani generis salute propagata ac promota cernebatur **).

§. 4.

Variolae vaccinae origo.

Utrum pustulae dictae in vaccarum uberibus certis sub adminiculis sponte evolvantur, vel vero

*) The history and practice of vaccination. By *James Moore* etc. London, 1817. 8.

**) Conf. *Robert Willan:* Ueber die Kuhpockenimpfung. Aus dem Englischen übersetzt mit einer Zugabe etc. von *G. F. Mühri.* Mit zwey illuminirten Kupfertafeln. Göttingen, 1808. 4.

a variolarum communium contagio, brutis animalibus ab hominibus communicato *), vel ab alia quadam incognita causa oriantur, inter naturae scrutatores, quin quidquam certi eatenus innotuisset, disceptatum fuerat; *Jennero* tamen et hujus quaestionis aliquam debemus dilucidationem. Advertit enim in Comitatu Gloucestershire, ubi causa rei lactariae magnus vaccarum numerus alitur, eum ab olim viguisse morem, ut homines, equorum curam gerentes, una ad vaccas mulgendas adhibeantur, atque in eodem Comitatu variolas vaccinas frequentius occurrere, cum in Hibernia et Scotia, ubi feminae tantum eam operam perficiunt, vaccarum eae pustulae nunquam visuntur. Collimabat hinc perspicax observator, dictas vaccarum pustulas ab equis oriri, et reperit ultra indagando, peculiarem quemdam morbum in equorum pedibus saepe evolvi, qui materiem contagiosam generet, hancque materiem manibus illorum, qui ulcerosos equorum pedes tractant, sub mulgendo in vaccarum ubera transferri, et translatam eam saniem pustulas me-

*) Notatu dignum est periculum, a Doctore *Gassner* Günsburgi institutum. Inseruit quippe vaccas cum fomite variolarum humanarum, quo in brutis undecim variolam vaccinam provocavit; ex his dein pustulis desumta lympha, ac prolibus inserta, in quatuor optimae notae excitavit pustulas vaccinas. (Med. Chir. Zeitung 1807. Nro. 67.) — Notum praeterea est, in equo pustulam, vaccinae similem, provocatam fuisse, cum vaccinae lympha membranae muciparae narium insita fuisset.

moratas provocare, quae demum inter armenti vaccas propagentur.

Pugnabant vero pro hac opinione, in Comitatu Gloucestershire dudum communi, observationes villicorum, quibus innotuit, variolam vaccinam in villis singulis, nisi contagium aliunde adlatum fuerit, tunc saltem occurrisse, ubi memorata pedum adfectio inter equos una vigebat.

Advertit praeterea *Jennerus*, pustulas in hominum manibus, ulcerosos equorum pedes deligantibus, ortas saepe fuisse, variolis vaccinis analogas, et pustulas eas perpessos a variolis humanis tutos mansisse. Quid quod *Jennero* in Anglia, *Sacco* Mediolani, *Viborgio* in Dania et aliis pluribus successerit, ope lymphae, ex equorum ulceribus desumtae, et vaccarum uberibus insertae, genuiam provocare variolam vaccinam. His accedit *Jenneri* experimentum: Faber quidam contrahit manu sua ulcus cum equi adfectum pedem tractat, hujusque ulceris materia puer inseritur, quo variola vaccina genuina in isto excitatur. Si igitur experimenta similia, a *Woodville*, *Simons*, *Coleman*, *Bremer*, *Pilger*, *Tocret*, *Tessier*, *Huzard* etc. instituta, tali caruerunt effectu *), id inde repetendum videtur, quod verus ejus morbi,

---

*) Conf. *De Carro* l. c. p. 24. sqq.
Careno l. c. p. 1. sqq.
Willan l. c. p. 135. sqq.
Franc. Nob. ab Hildebrand l. c. p. 311. sqq.

in equorum pedibus occurrentis, character nondum innotuerit, nec satis constet, quane morbi periodo, et quibus sub adminiculis lympha contagiosa generetur, quae ea polleat virtute, ut variolam vaccinam in vaccarum uberibus provocare valeat.

Quod autem eum, in equorum pedibus occurrentem morbum concernit, qui variolae vaccinae ortum praebere cum majore probabilitate statuitur, eum Angli *the grease* vel *greasy heels*, Galli *javart*, Itali *giavardo* s. *chiavardo*, Germani *Mauke der Pferde* s. *Schutzmauke* compellant, et declaratur a Veterinariis tanquam *paronichia* s. *periostei inflammatio erysipelatosa* aut *serosa* *) *Viborgii* observatione morbus iste cum febre oritur, quam erysipelatosus tumor in pedis parte, quae talum et ungulam intercedit, seu proprie ad metatarsum, excipit, quive tumor tensione et dolore equi gressum difficiliorem reddit; post biduum dein aut triduum in tumoris superficie parvae vesiculae evolvuntur, lympham diaphanam et peculiaris odoris fundentes, unde pili conglutinantur, complicantur, hirti redduntur. Sibi relictum id equorum malum, chronicum redditur, quo et vesiculae in ulcera superficialia, tenuem et foetentem ichorem fundentia, degene-

---

*) *J. E. Veith:* Handbuch der Veterinärkunde. II. Band. Wien, 1818. p. 224.

rant. Occurrit vero iste morbus, qui aëris frigidi et humidi vicissitudinibus adscribitur, nonnunquam tanquam epizootia, estque saepe malum secundarium aut metastaticum in morbis febrilibus *).

§. 5.

Variolae tutoriae apparitiones in vacca.

Ubi vaccinae pustulae in uberibus vaccarum evolvuntur, initio maculae parvae irregulares circa papillas potissimum apparent, quae usque septimum diem in pustulas circulares, in centro foveola distinctas, pallido caeruleas, lympha limpida turgentes, et areola (s. halone) rubra, erysipelatosae inflammationi simili, cinctas, formantur. A die septima pustularum humor pedetentim spissatur, et abit tandem in crustam, cum epidermide circa decimum quartum diem decidentem. Solet pustularum eruptionem frequenter morbosa quaedam irritatio praecedere, ut vaccae pabulum respuant, ore vacuo ruminent, et minus de lacte, magis nunc aquoso, secernant, quae tamen symptomata tunc, ubi pustulae statum perfectae evolutionis attingunt, sponte disparent. Contingit praeterea saepius, ut pustulae neglectae, vel incongrue tractatae, in phagedae-

*) *E. Viborg's* Sammlung von Abhandlungen für Thierärzte und Ökonomen. Aus dem Dänischen. IV. und V. Bd.

niea degenerent ulcera, quibus brutum gravius afficiatur, febre vehementiore corripiatur, lactis secretio penitus ferme cohibeatur, mammae latius inflammentur, durescant.

Quamvis pustularum haec species, ut fide digni scriptores perhibent, jam olim, et quidem in diversis mundi plagis, eognita *), atque recentiore aevo in Anglia et variis Germaniae septemtrionalis provinciis, in Halsatia et Frisia, in pluribus Italiae regionibus, in Longobardia, Helvetia, Gallia, Tureia, Ameriea, inque novae Hispaniae montibus (*Alex. Humboldt*) observata fuisset **); advertendum tamen est, plures occurrere in vaccarum uberibus pustularum species, quae a genuinis tutoriae vaccinae pustulis hactenus non satis distinctae fuere, ut adeo lymphae, e similibus vaccarum pustulis desumtae usus caute omnino et circumspecte fieri debeat. Constat enim, pustulas tales symptomaticas vel metastaticas, aut critieas etiam, in lue oris et ungularum eornutorum pecorum saepe occurrere, de quibus tamen, an genuinam et tutoriam eonstituant variolam vaceinam, ambigitur ***). Obser-

*) Conf. *Hildebrand.* l. c. p. 312.

**) Ante paucos annos in Hungaria quoque, quod seiam, in Comitatu Pestiensi, variolae in vaccarum uberibus observatae fuere; an autem genuinae fuerint vel spuriae, non constat. Rarius etiam pustulae tales in vaccarum palpebris observatae fuere.

***) *Vaith* l. c. p. 227.

varunt praeterea veterinarii, diversas esse variolae vaccinae (*spuriae*) species, quae vaccarum ubera aut papillas obsideant, quaeve una contagiosam habeant naturam. Huc referuntur: variolae vaccinae *succineae*, quas *Nisze* ex flavo brunescentes, diaphanas, magnitudinis phaseoli, gravis odoris, facile in ulcera phagedaenica degenerantes, et homini contagiosas observavit; var. vacc. *nigrae*, quae depressae, in nigrum vergentes, frequenter suppurantes et contagiosae dicuntur; var. vacc. *caerulescentes*, quae pisi magnitudinem aequant, in centro caeruleum exhibent colorem, limbo rubro, arcto tamen, circumdantur, quaeve penes mitem naturam contagiosam habent indolem; var. vacc. *bullosae*, quae juxta *Günzeli* observationes bullulas albicantes, aquoso humore turgentes, propere erumpentes, ac mox disparentes exhibent; variol. vacc. *rubrae*, quas *Heinze* in mammarum papillis tanquam parvas et rubellas pustulas advertit; var. vacc. *albae*, a *Jennero* observatae, vesicas majores, alba et contagiosa lympha plenas, constituentes; denique advertit *Viborg* var. vacc. *verrucosas*, verrucis quippe similes, quae in papillis nonnunquam occurrunt, quaeve initio albidae, postea rubellae apparent, et crusta brunea desquamantur, atque, homini saltem, contagiosae haud sunt *).

---

*) *Vaith* l. c. p. 228. — *Careno* l. c. p. 3. a).

§. 6.

Variola vaccina in hominem translata.

Quamvis variolae vaccinae genuinae (§. 5.) idem sit effectus, sive fomes ejus protinus a vaccae pustula, seu vero ex pustula in homine evoluta in alium transferatur hominem, ut adeo in utroque casu, modo cetera debite respondeant, tutoriam adversus humanas variolas exserat virtutem; variola tamen, a vaccae pustula exorta, aliquas exhibet differentias, variae quidem fomitis indoli minime adscribendas, sed a loco et modo, quo materies communicatur, repetendas. Diversae enim manus partes, digitorum phalanges vel apices, aut metacarpus materia vaccina inficiuntur apud homines, vaccarum pustulas contrectantes, et subit fomes contagiosus jam majores jam minores plagas, penetratque hic profundius, cum alias superficiem laesae partis tantum subit, prout partes eaedem fissae vel alia ratione laesae fuerint. Contingit hinc frequenter in similibus infectionum casibus, ut variola, quae characterem suum retinere semper quidem nititur, a forma solita et figura orbiculari recedat: major sequatur partium affectarum tensio, dolor, inflammatio, et suppuratio superveniat solito uberior. Sub his rerum adjunctis etiam phaenomena reactionis in universo organismo intensiora compareut, ut febris sit paulo vehementior, pul-

sus sit frequens, horrores, lassitudinis sensus, lumborum et dorsi dolores compareant; his nonnunquam accedit capitis gravedo, et contingit etiam, ut aegri per intervalla delirent. Saepe etiam accidit, ut absorpta per lymphatica vasa variolae vaccinae materie, tumores sequantur glandularum subaxillarium. Symptomata haec plus minus gravia uno usque quatuor diebus durant, et remanent tandem in manu affecta pustulae ulcerosae, quae pro varia partium affectarum indole majores vel minores adferunt molestias, ut vel lente sanentur, vel phagedaenicae reddantur. Rarum admodum est, ut pustulae parvae, lacte rubentes, in reliqua cute prorumpant, quae tamen sine omni suppuratione mox disparent *). Insitam autem variolam vaccinam multo mitius, in plerisque saltem casibus, incedere, inferius videbimus.

§. 7.

Succincta variolae tutoriae in communem usum adductae historia.

Quae copiosos primis temporibus in Britannia reperit adversarios *Jenneri* detectio, apud alias nationes penitus comprobata, perque latum orbem mox propagata, et in communem humani generis usum adducta fuerat. Impenderunt vero

*) *Careno* l. c. p. 2.

Germaniae in genere, atque Austriaci praecipue medici solertem in promovendo salutari eo negotio operam. Dum enim probatae in Anglia variolae vaccinae fama trans mare inerebuisset, insitionis tentamina mox, et quidem primum Vindobonae et Hannoverae, instituta fuere. In austriaca metropoli Eques de *Ferro*, *Careno* et *De Carro*, in posteriore vero urbe *Stromeyerus* et *Ballhorn* mensibus vernalibus anni 1799. prima insitionis pericula cum optato successu peregerunt, et constat, adoptatam in his urbibus variolam tutoriam, tanquam e seeundis natalibus, per omnem late patentem orbem promulgatam et promotam fuisse. Vindobona vaccinae fomes, promto imprimis et humano cel. *De Carro* animo et fatigari neseio studio per cunctas austriaeas provincias et Hungariam, perque Bavariam, Germaniam australem, Helvetiam, Franconiam, Italiam distributus, quin imo mox et Constantinopolim inque Graeciam transmissus fuerat. Cum tempore codem Germaniae septemtrionalis provineiae vaccinae materiem Hannovera recepissent, ct medici negotii gravitate provocati diligentissimum inter se fovissent literarum commercium, variolae tutoriae lympha mox in remotissimas septemtrionales pertigit provincias. Cons. *Helm* (1. Febr. anni 1800.) prima Berolini instituit insitionis tentamina, quibus eomprobatis Prussieum Regimen vaceinae negotium cura publica providendum de-

crevit, ac unâ peculiare institutum, eidem negotio dicatum, Cons. *Bremer* credendum, instaurandum jussit *).

Eodem fere tempore variolam vaccinam in Dania, Suecia, Grönlandia, Russia et Siberia optato cum successu insitam, ac inter varias nationes propagatam fuisse constat. Nec minora sunt Galliae de promoto prophylactico eo remedia merita; eodem enim tempore instituta duo, salutarem *Jenneri* detectionem collustratura, et vaccinae negotium procuratura ac promotura, Parisiis instaurantur. Quod Regimen condidit institutum (Comité central de vaccine), cell. *Thouret* praesidem, et cel. *Husson* a secretis habebat. Per nationale Institutum demandata commissio cell. viros *Portal*, *Fourcroy*, *Huzard* et *Hallé* sibi praefectos habebat. Hispania a Vindobonensibus et Parisiensibus (anno 1800) vaccinae fomitem recepit. In Hollandia quoque peculiare institutum, quod rem vaccinae procurandam habebat, conditum. Majora requirebantur molimina, ut incorruptus vaccinae fomes per zonam torridam in Americam meridionalem transferatur. Miserunt Hispani navis

*) Notum est, Regem Borussiae subditis suis eximio praeivisse exemplo, cum anno 1800. augustam suam sobolem vaccina inserendam curasset. (*Hufeland's* Journal der prakt. Heilkunde. 1828. 1. St. p. 34.). Imperator Turcarum tres suarum prolium et duas sui gynaecei dominas (16. Maji a. 1827.) per gallicum Drm. *Auban* inserendas curavit (ibid. p. 120.)

beneficio 22 pueros, qui opera Doctoris *de Balmis* pedetentim inserti, materiem recentem (a. 1804.) felici successu fervidi coeli incolis attulerunt. Eodem fere modo variola vaccina (a. 1804.) in Brasiliam, et quidem socia cel. *De Carro* opera, delata fuerat *).

Cum a scopo hujus tractatus alienum penitus esset, variolae vaccinae historiam ultra prosequi, commemorasse sufficiat, nullam jam nunc in late patente orbe dari nationem aut populum, modo aliquod ei sit cum Europaeis commercium, cui tutorium id remedium non esset familiare. Nec mirum est, rem istam intra pauca lustra adeo communem esse redditam, siquidem tantam praestet humano generi utilitatem, ut et rudioribus hominibus perspicuum sit, quanti aestimari debeat beneficium, cum pestiferus variolarum humanarum morbus levi et omni periculo vacua insitionis operatione profligatur. His accessere scriptorum, utilissimam rem promulgantium fervor **), medi-

*) *Willan* l. c. p. 123. sqq.

Günther: Geschichte der Vaccine und ihrer Impfung. Kölln. 1802.

De Carro: Histoire de la vaccination en Turquie, en Grèce, et aux Indes orientales. Vienne, 1801.

Machold: Dissert. inaug. sistens iter et fata vaccinae. Viennae, 1804.

Moore l. c.

**) Inclaruerunt quidem multi scriptores in hoc genere, plurimum tamen contulerunt ad promovendum salutare vaccinae negotium:

corum et chirurgorum majores conatus, atque Regiminum cura sollicita et auctoritas *).

§. 8.

Variola vaccina in Regno Hungariae propagata.

Si alia praesto non essent testimonia, vel ipsa variola tutoria, quae in Regno Hungariae protinus innotuit, loqueretur, non paucos in patria esse medicos, qui scientiam assidue colant, et omnia, quae sincera promit experientia, quaeve artem salutarem vere locupletant, in humani generis utilitatem alacriter convertant. — Quamprimum enim certius constabat, variolam vaccinam innocuum esse ac una tutum contra humanas variolas remedium, de genuino ejus fomite, pro incolarum majore commodo acquirendo, plures solliciti erant Hun-

---

Jean de Carro: Observations et Experiences su l'inoculation de la vaccine. Vienne, 1801.

J. J. Hartenkeil et (serius) *J. Nep. Ehrhart* Edlen v. *Ehrharstein:* Medicinisch-chirurgische Zeitung. Salzburg (nunc) Innsbruck. — Periodico hoc opere variolae vaccinae negotium praecipue fuisse promotum, gratus agnoscit literarius orbis.

*) Conf. *Medicinische Jahrbücher* des k. k. österreichischen Staates. Wien, 1811. — Cont. —

Sammlung aller Sanitätsverordnungen im Erzherzogthume Oesterreich etc. Herausgegeben von *Paskal Jos. v. Ferro* etc. II. Thl. Wien, 1807.

Ejusdem oper. Fortsetzung III—V. Thl. Herausgegeben von *Eduard Vinc. Guldener Edlen von Lobes* etc. Wien, 1821—1825.

gariae medici. Censebant alii ad Anglos, ceu ſontem primum, recurrendum esse, cum plures alii Vindobonenses interpellabant, promta officia, a. cell. *De Carro* praecipue, experti. Cum vero insitiones, lymphae siccae ope factae, saepius fallerent, medici solertes cum infantibus variolis capacibus Vindobonam profecti, iisque hic insertis, fomitem recentem, usque hodiernam diem sollicite conservatum, in Patriam intulere.

Pluribus medicis ac chirurgis uno eodemque tempore eo contendentibus, ut saluture remedium, quo fieri saltem potuit, citius in concivium commodum adducatur, definiri vix potest, cui nam laus ob instituta felici cum successu prima in ampliore Regno insitionis tentamina sit tribuenda *); id tamen certo constat, jam anno 1799. insitionis pericula in Hungaria facta, et usque annum 1801. infantes mille plures in variis Regni provinciis cum optimo successu materia vaccina imbutos fuisse. Ab eo vero inde tempore, variolae vaccinae fomite de urbe in urbem, deque Comitatu in Comitatum promoto, variola tutoria adeo communis reddita, ut primis jam saeculi nostri annis complura patriae sobolis millia prophylactico eo re-

*) Quantum constat, denatus Békessiensis Comitatus Physicus *Rigler*, inter primos notatur, qui variolam tutoriam in Regno Hungariae cum optato successu inseruerunt. Vetat autem verecundia, viventes nominare Patriae medicos, qui hoc in genere majoribus inclaruerunt meritis.

medio a saevissimo variolarum humanarum malo efficacius custodita fuisse sciamus.

Postquam variolae vaccinae virtus et summa ejus utilitas in Regno Hungariae inque aliis Caesareo-Regiis Monarchiae Austriacae provinciis penitus comprobata fuisset, insitionis negotium, usque annum 1804. privato studio relictum, omnigenam Regiminis subivit curam, ut jam nunc salutaris remedii institutum benignis resolutionibus Regiis ordinari coeperit. Harum ordinationum inferius deducenda series partim circa administrandum variolae vaccinae negotium in universum, partim circa rationem insitionis versatur, suntque alii editi benigni ordines, quibus personae medicinales ad solerter propagandam in Regno variolam tutoriam provocabantur, quibusque populus ad recipiendum salutiferum remedium blandius monebatur.

Quemadmodum variolae tutoriae negotium in aliis provinciis collegiorum et societatum opera promotum imprimis ibat (§§. 5. 6.), ita perquam utile fuerat, similia in Regno Hungariae quoque instaurare collegia. Suprema ejus negotii directione per Consilium Reg. Locumt. Hungaricum constanter procurata, et Magistratibus maxima vigilantia circa id institutum injuncta, peculiares, ut vocant, Deputationes, rem vaccinae curaturae, una quippe in urbe Budensi centralis, et aliae filiales in quavis Regni Jurisdictione constitutae

fuere, quae, si hactenus voto ubique respondissent, salubre institutum ad optatum dudum adductum cerneretur perfectionis gradum.

Ut denique populus ad recipiendum variolae vaccinae beneficium pronus reddatur, praejudicia apud plebem vigentia dissipentur, et summa ejus remedii utilitas ob oculos ponatur; scripta popularia, linguis vernaculis exarata, per Regnum distribuebantur. Animarum dein curatores et alii cives cultiores Regio nomine provocati, ut plebem omni opportuno tempore et loco, verbo et exemplo ad explendum hoc in merito erga liberos suos officium permovere satagant. Ut vero et pauperum hominum proles ejus beneficii eo certius participes reddantur, sostra peculiaria, insitientibus ex publico Jurisdictionum aerario pendenda, clementer resolvit sua Majestas Sacratissima. Ultra hos et alios, rem salutarem promoventes ordines, Rex clementissimus, ut majus adsit incitamentum, eos, qui in hoc officii genere eminuerint, benigne praemiandos decrevit.

His autem de benigna mente resolutis et dispositis, vaccinae negotium in Hungaria adeo promotum fuerat, ut paucioribus Regni partibus exceptis, insitio variolae tutoriae mox communis fuerit reddita.

Negari interea non potest, insitionis negotium penes solertissimam Regiminis curam in nonnullis Regni Jurisdictionibus ea ratione tra-

ctatum haud fuisse, ut insitorum numerus in justa semper stetisset ratione cum modo nata et succrescente sobole. Fateri praeterea debemus, humanas variolas, ut in aliis provinciis quoque est, e Regno profligatas nondum esse, ut sporadice saepius, rarius tamen epidemice occurrant, atque his in casibus communi demum insitione cohibeantur. Quae hic et ibi salubri negotio moram injiciunt sunt: localia adjuncta, plebis praejudicia ac renitentia, hominum nonnullorum improba socordia. In aliis vero Regni Jurisdictionibus res vaccinae ea cum solertia, inde a pluribus annis tractata advertitur, ut amplius quid desiderari vix possit. *).

§. 9.

Variolae vaccinae natura, ejusque in genere effectus.

Habet variola vaccina id cum aliis contagiosis exenthematibus commune, quod lympham generet, quae intra certam periodum principio scateat contagioso fixae indolis. Ubi autem contagiosum

---

*) Notantur quidem in protocollis Exc. Consilio submissis nonnisi 1.974,880, qui inde a tempore detectae variolae vaccinae usque finem anni 1826. in Regno universo insiti fuere. Ast protocolla eadem, serius ceteroquin demandata, vix duas tertias vaccina insertorum continere videntur.

id principium cum reti mucoso, epidermide nudato, in contactum venerit ea ratione, ut vel absorberi, vel saltem differente sua natura partem organicam animalis corporis mutare, inque sphaeram activae suae virtutis adducere possit; in organismis, ejus contagii capacibus, similem provocat pustulam, humorem perinde contagiosum generantem. Hoc igitur modo fit, ut scintilla semel excitata de individuo in individuum propagetur, et contagium speciale naturam suam congruis sub adminiculis constanter retineat. Videmus hinc, variolam vaccinam, per millena individua migrantem, perque longam annorum seriem circumeuntem, spectata sua forma externa et virtute interna, eandem continuo esse, quemadmodum plantarum semina congruis sub rerum adjunctis speciem suam perpetuo conservant.

Gaudet praeterea eadem variola vaccina singularibus praerogativis: incedit mitissime, ut organismum, in quo evolvitur, rarius in compassionem majorem adducat, et sensibilis ejus effectus unice fere ad localem pustulam restringatur; individua dein constitutio, anni tempora, climatis et vivendi ratio, stationaria aëris constitutio et morborum vigentium genius, quae ceteros contagiosos et exanthematicos morbos indole sua potenter mutant, in variolae vaccinae naturam, decursum et effectum vix aliquam exserunt vim, ut adeo pustulae hujus contagium suae sit potestatis,

et rerum externarum influxu minime determinetur. Summa denique variolae vaccinae praerogativa est: quod morbum, sibi quidem aliqua parte adfinem, indole tamen penitus diversum, fixum una et volatile contagium generantem, universum organismum impetentem, gravissimis symptomatibus incedentem, perniciosum, vitae insidiantem, et diversa mala posthuma relinquentem, *variolam* quippe *humanam*, in homine cujuscunque Zonae et omnis plane varietatis praecaveat.

Ob hanc vero praerogativam, in nullo alio contagioso exanthemate hactenus observatam, variola vaccina *tutoria* audit (§. 1.), et salutatur merito tanquam verum naturae beneficium. Constat enim vera et longa experientia, variolas humanas organismum hominis processu morboso, quem provocant, ita mutare, ut a contagio earum, rarioribus casibus exceptis, amplius affici non possit. Similem vero metamorphosin et variola vaccina humano inducit corpori, ut contagio ejus debite recepto, et pustula ad justam normam evoluta, talis ponatur reactio, quae organismo facultatem adimat, contagium variolarum humanarum recipiendi, quemadmodum et genuina vaccinae pustula in homine, eandem vel communes variolas jam perpesso, vix unquam evolvitur.

Prout inter casus mille vix semel contigit, ut variolae humanae ex eo, quod provocatus sub earum decursu processus morbosus imperfectus fue-

rit, vel vero pristina organismi conditio serius aut citius, ex incognitis haetenus eausis, restituatur, binis vicibus, aut frequentius etiam, eundem hominem invadant; ita etiam accidere potest, ut individuum, variola tutoria rite defunctum, a variolarum humanarum contagio afficiatur, quod quidem, modo variola vaecina debite administrata et sedule observata fuerit, rarissime peraeque contigit. Observationibus praeterea evietum habemus, morbum variolosum, si tamen post genuinam vaccinam evolvatur, longe mitius incedere, nec mala posthuma tam gravia, ut secus contingere svevit, post se relinquere *).

§. 10.

Variolae tutoriae utilitas.

Summa variolae vaecinae utilitas vel exinde jam patet, quod opera lenissima ejus fomes inseri possit, quodque prophylactico hoc, cetera innocuo remedio, dirissimus variolarum humanarum

*) Dr. *Steph. Moro.* (Annali universali de Medicina, compilati da *Anibale Omodei.* Mediol. 1827. Vol. XLI.) — E comparatione epidemiarum variolae humanae et modificatae, quae diverso tempore in Gallia, Batavia, in Anglia, Scotia et America vigebant, Dr. *Capoetti* sequentem eruit mortalitatis rationem: Apud eos, qui nec naturales nec insititias variolas perpessi sunt 1 : 4; in iis, quibus variolae humanae insitae 1 : 23; apud eos vero, quibus vaccina inserta erat 1 : 424. (ibid. Vol. XLII.) — Conf. Medic. Chir. Zeitung. 1828. III. Bd. p. 408. et 457.

praecaveatur morbus. Sunt autem commoda, ex variolae tutoriae insitione promanantia, duplicis in genere ordinis: alia enim ad homines singulos referuntur, et alia universam respiciunt humanam societatem.

Quod priora concernit commoda, insertio, quae caute et versata manu facta, nullam plane ingratam aut dolorificam sensationem conciliat, pustulas aliquot in loco insitionis provocat, per certam periodum semet evolventes ac dehiscentes, subque congrua tractatione absque ulla molestia sponte sua disparentes; morbus dein universi organismi, qui pustularum evolutionem comitatur, vel penitus insensibilis, vel mitis admodum est, ut graviorem affectionem nunquam adferat, nisi morbos, ex aliis causis supervenientes, insonti adscribere lubuerit vaccinae. Si vero formidabilem variolarum humanarum consideremus morbum, qui vaccinae insitione praecavetur, et pravam ejus indolem obiter tantum lustremus, prophylactici ejus remedii eximia virtus uberius patescit. Notum enim est, vel simplicem variolosum morbum, febris inflammatoriae purae stadia juxta normam percurrentem, si casus rariores excipiantur, graviorem semper sistere aegritudinem: febrem vehementiorem, symptomatibus variis stipatam, habere comitem; stadia ejus varia sibi propria habere phaenomena, aegro perquam molesta, adstantibus formidabilia; pustulas, ardentes prius ac subinde prurientes, in toto quo

late patet corpore diffundi, et cutem universam inflammari, intumescere, tendi; prognosin in omni casu fere dubiam esse atque anxiam; si demum morbus feliciter superetur, nullaque manifesta relinquat mala posthuma, dispositionem tamen frequenter remanere ad morbos varios, qui saepe post longius primum tempus erumpant; denique in plerisque casibus, si non alia per morbum variolosum adferuntur mala, vultum saltem cicatricibus deformari.

Multo autem tristior est rerum facies, ubi morbus variolosus cum aliis complicatur morbis; ubi idem per regnantem morborum genium depravatur; ubi vel inflammationes topicae organorum nobilium se associant, vel socia febris ad summum status inflammatorii provehitur gradum, dumve eadem nervosum aut putridum induit characterem, aut quoquo denique modo maligna redditur. — In similibus enim casibus vita aegrotantium, ut tristis docet experientia, in summo versatur periculo, ut adeo major aut minor hominum pars morbo primario perimatur, et multi alii ex malis posthumis moriantur, pernicioso variolarum morbo productis. Nec desunt tristiora fere exempla eorum, qui vitae periculum evadentes, visu, auditu, membrorum, vel et recto mentis usu priventur, foedis ulceribus ac cicatricibus, ossium carie etc. afficiantur. His demum accedit, quod atrox variolarum communium malum organismum huma-

num ad labem scrophulosam, rhachiticam, scorbutum, phthisin pulmonalem, otrophiam et alios chronicos morbos disponat.

Si igitur variola tutoria, tanta praecavens mala, in homine singulo inque privatis familiis tam gravia praestat commoda, summa ejus utilitas in universam societatem humanam suapte patescit. Civitatis enim vires, fortunae et stabilitas in aequali sunt ratione cum civium numero, eorumque physica et mentis valetudine. Docet autem historia jatrica, malum variolosum, inde a pluribus saeculis per omnem late patentem orbem diffusum, provincias integras depopulantis calamitatis instar devastasse, ejusque epidemiis, intra certas periodos recrudescentibus, tantum hominum numerum de tempore in tempus abreptum fuisse, ut strage hac unica, quae jam jam necessaria et nullo modo evitanda censebatur, feliciora populi incrementa in multis orbis regionibus fuerint impedita.

Dum vero perniciosus is morbus parte ex una hominum numerum continuo et ubique deminuisset, parte ex altera superstitem generationem morbidam, tabidam, sensu et membrorum usu spoliatam, et societati pro magna parte inutilem ac onerosam potius reddidit. Haec vero omnia variolae tutoriae insitione feliciter praecaventur, unde eximii hujus beneficii commoda, in universam societatem redundantia, satis superque patent.

§. 11.

Variolae tutoriae effectus in augendum populi numerum.

Calculo arithmetico erui quidem non potest, quantusne hominum numerus per insertam variolam vaccinam ab interitu solvetur, et quantum incolae cujusvis provinciae intra certum tempus exinde capere possint incrementum, siquidem variolarum epidemiae, rarius aut frequentius recurrentes, pro diversi characteris ratione diversam exserere sveverint stragem, et soboles a malo varioloso conservata, aliis adhuc, iisque perniciosis infantilibus morbis, exposita sit. His accedit, quod variolae vaccinae negotium nullo fere loco ita administretur, ut insitorum numerus omni tempore in justa sit ratione cum natorum numero.

Quidquid autem sit, inaestimabilem tamen agnoscere debemus variolae tutoriae effectum. Tuto enim adstrui potest, quartam partem succedentis sobolis prius per morbum variolosum ejusque sequelas abreptam fuisse, quae solerte prophylactici remedii usu jam nunc conservari possit. Constat praeterea observatione, morbos infantiles per tutorium id remedium mitiores reddi, quod quidem ratio et experientia pari passu evincunt. Nemo enim negaverit, morbum, quemcunque demum, multo facilius superari per organismum humanum integrum, et longe majus esse periculum,

ubi idem in corpus offenderit, morbo varioloso jam prius labefactatum.

Variolam tutoriam triplici plane modo ad augendum populi numerum insigniter conferre: humanas variolas praecavendo, morbos infantiles mitigando, et morborum semina in genere minuendo, experientia quoque evincitur. Constat enim, populi numerum in provinciis, ubi vaccinae insitio lege injuncta habetur, ea ratione auctum mox fuisse, ut aetas media hominum, quae prius 30 annorum erat, ad 33 annos provecta fuerit *). Constat praeterea, calculo certo esse evictum, Europam universam olim singulo anno minimum 40,000 hominum ex variolis communibus perdidisse **).

Nec in Regno Hungariae similia desunt indicia. Quamvis enim vaccinae negotium hactenus pari cum fervore ubique locorum tractatum haud fuerit, nec plebs, ut in aliis provinciis esse svevit, isthic aliqua compellatur vi; populi tamen numerus (nobilibus in calculum haud sumtis) spatio quinque annorum (1819—1825.) sexcen-

---

*) Bericht über die Schutzpocken-Impfung im Physicats-Districte Rosenheim. (von Dr. *M. Schmid*) 1816.

**) Ueber die Besorgnisse, welche die immer steigende Bevölkerung der civilisirten Staaten in den neuern Zeiten erregt hat. Vom Prof. *C. L. Close* zu Breslau p. 9. (In Ad. *Henke's* Zeitschrift für die Staatsarzneykunde. Achter Jahrgang. Erlangen, 1828. I. Vierteljahrheft p. 1—18.).

tenis millibus, et quod excedit, adauctus cernitur. Id autem populi incrementum pro parte majori variolae tutoriae adscribendum, et nequaquam aliis tantum physicis ac politicis causis attribuendum esse, vel inde efficitur, quod hominum numerus illis plane annis, ac illis in Regni partibus insigniter auctus fuerit, ubi vaccinae negotium majore cum fervore tractatum fuisse constat.

§. 12.

Aliae variolae vaccinae utilitates.

Praeter memorata commoda, quae variolae vaccinae insitio, cum singulis hominibus, tum societati humanae in genere praestat (§§. 10. 11.) aliae adhuc sunt ejus remedii utilitates. Eo enim per innumeras observationes probato, quod vaccinae insertio, congrua ratione instituta, in plerisque casibus insitos a variolarum humanarum morbo tutos reddat, et id per experientiam firmatur, tutoria variola rite defunctos, si tamen a variolarum contagio, quod quidem rarissime contingit, afficiantur, mitem admodum pati morbum. Docet praeterea experientia, ab eo inde tempore, quo variola tutoria usu venit, malum scrophulosum, miliaria et alios infantum morbos rarius occurrere *);

*) *Albers* (vid. *Hufeland's* Journal der practischen Heilkunde. 1815. II. Bd. 2. St. II.)

morbos diversos, chronicos praecipue, secus pertinaces, a vaccinae insitione velut sponte disparuisse *).

Quid quod variola vaccina, ut observationes in Turcia factae perhibent, etiam contra pestem orientalem sit praesidium, ut adeo observante Doct, *Auban* ex 500 — 600 individuis, Constantinopoli insertis, ne unicum quidem peste correptum fuerit, et infantes, eodem fomite imbuti, ubera matrum, peste laborantium, incolumes suxerint. Refertur praeterea, in villis Bizantinae urbi vicinis dudum notum fuisse, variolas, a vaccis contractas, homines a peste pari modo ut a variolis communibus tutos reddere **).

His demum accedit, quod variola vaccina in diversis animalium generibus suam quoque exserat vim: in canibus pneumoniam (*Staupe*), iis bestiis propriam, mitiorem tamen provocet, eosque tutos reddat a morbo, secus admodum pernicioso ***); in ovibus, ut in casibus nonnullis successit, pustulam excitet, a malignis variolis praecaventem ****).

*) Med. Chir. Zeitung. 1813. I. Bd. p. 351. 1814. I. Bd. p. 399. 1815. IV. Bd. p. 207.

**) Ibid. 1803. III. Bd. p. 367.

Insitionem variolarum vaccinarum praestantissimum esse contra pestem antidotum anno 1803. Reg. Hung. Protomedicus *Franciscus Schraud* Suae Majestati Sacratissimae demisse insinuavit. Vid. proposit. b. Decr. Aul. de 14. Octob. 1813. Nro. 9732. Nr. Cons. 24398. et 27382.

***) Med. Chir. Zeitg. 1801. II. Bd. p. 420. 1818. I. Bd. p. 155.

****) Ibid. 1813. III. Bd. p. 309.

§. 15.

Adversariorum argumenta.

Prout nulla fere est in sacris ac profanis disciplinis veritas, nullaque in rebus humanis, utilissima licet, inventio et detectio, quae suos non habuisset adversarios; ita et variola tutoria non paucos olim invcnit osores, hodieque impugnatur. Praecipua autem hujusmodi argumenta, fidis observationibus, longa experientia et celeberrimorum collegiorum auctoritate dudum encrvata *), ad sequentia redeunt capita.

1) Maxime communis est objectio: variolam vaccinam haud semper tutorium esse remedium, ut adeo constet, permultos variolis humanis vere talibus post perpessam vaccinam correptos fuisse.

Quamvis negari non possit, hic et ibi contigisse, ut vaccina inserti morbo varioloso fuerint correpti; ultra tamen quaeri debet, an vaccina praecedens genuina fuerit, vel spuria potius, siquidem talis morbum variolosum praecavere ce-

---

*) Geschichtliche Darlegung des bisherigen Erfolgs der Kuhpocken - Impfung und Prüfung der Einwürfe, die man gegen dieselbe oft machte etc. Von dem K. Institut von Frankreich. (Med. Chir. Zeitung. 1813. IV. Bd. Nro 95 — 101.)

C. W. Hufeland's Journal der praktischen Arzneykunde. plur. locis.

G. A. Richter l. c. II. Bd. p. 355.

Fr. Nob. ab Hildebrand l. c. T. IV. p. 295.

teroquin non valeat, ut igitur in similibus casibus neglectus illorum, qui insitos statutis temporibus revidere et rite observare intermittunt, plurimum sit arguendus. — Quaeri dein ultra potest, an morbus exanthematicus, pro varioloso habitus, omnino talis, vel alius potius fuerit, quemadmodum curatissimorum observatorum experientia jam nunc evictum est, in plerisque ejusmodi casibus *varicellam* pro variola vera habitam fuisse. — Prout denique raro admodum contingit, ut homo idem pluribus vicibus variolis communibus impetatur, ita quoque casus evolutarum variolarum humanarum vere talium a perpessa genuina variola tutoria tam rari sunt, ut vix aliquam promereantur attentionem. Exemplis enim talibus ad calculum vocatis patet, inter 250,000 variola vaccina insitos homines circa 50 nonnisi morbo varioloso corripi, eque his casibus decem vix esse, qui aliquam mercantur fidem.

2) Adstruunt, variolam vaccinam organismum humanum pro aliquo saltem tempore tutum reddere adversus variolas humanas, ut adeo homines vaccina rite defuncti serius aut citius, ut Anglorum et aliorum observationes doceant, a contagio varioloso tandem afficiantur, inque gravius vitae periculum adducantur.

Redit haec adsertio ad ea, quae paulo prius dicta sunt: negandum non esse, in casibus rarioribus organismum humanum ita esse comparatum,

ut sublata semel ad recipiendum variolarum contagium dispositio, seu id per insitam variolam vaccinam, seu vero per morbum variolosum adprime perpessum contigerit, post aliquod tempus iterum redeat (§. 10.), atque sic etiam fieri, ut nonnulli homines variolarum humanarum periculo saepius sint obnoxii. Quemadmodum ejusmodi casus in genere perquam rari sunt, ita observationibus certis et innumeris comprobatum habetur, variola vaccina, si ea genuina fuerit, hominem pro omni vitae tempore tutum reddi contra variolas humanas: immunes enim mansere homines, variolarum communium materie post multos a perpessa vaccina annos demum inserti, vel contagio varioloso frequentius expositi *).

5) Dicunt porro: variolae vaccinae insitionem gravia saepe excitare localia mala: inflammationes vehementes, tumores, ulcera maligna, quae membrum affectum vel et totum organismum in periculum majus adducant; febrim vehementiorem, et quidem malae indolis, sub vaccinae decursu frequenter evolvi, quae deterior plane sit ac ipse morbus variolosus.

*) Medicinische Jahrbücher des kais. österreichischen Staates. I. Bd. III. Stück. p. 83. sq. VI. Bd. I. St. p. 41. sq. — *J. A. Seulen:* Beobachtungen und Erfahrungen über die Schutzkraft der ächten Kuhpocken etc. (*Horn's* und *Nasse's* Archiv für medicinische Erfahrungen etc. Jahrgang 1827. Berlin. Sept. Octob. p. 749. sq.)

Quod localia concernit mala, quae variolae vaccinae perperam adscribuntur, haec, si hic aut ibi observata fuerint, crudeli potius ac ineptae operationi, instrumento impuro, vel fomiti quoquo modo corrupto aut alio plane contagio inquinato, attribui debent. Constat enim, in millenis insitionibus, debita cum cautione peractis, et pustulis rite custoditis, nec unica contingere vice, ut localia evolvantur mala, graviorem attentionem provocantia. — Morbus universi corporis, qui vaccinae pustulam comitatur, nisi nimia adsit sensibilitas aut irritabilitas, vel morbosa constitutio aut morbus omnino talis in corpore lateat, vel aegritudo, per alias causas excitata, sub vaccinae decursu superveniat, mitissimus semper est, ut igitur causis morbiferis sollicite devitatis, aegritudo gravior sub vaccinae evolutione non facile explicetur, ipsaque febricula, quae reactionis periodo comparere svevit, rarius tanta sit, ut vel in oculos incidat *).

4) Adstruunt vaccinae pustulam saepe degenerare in variolas spurias, quae parte una ma-

*) Potest contingere, ut sub variolae vaccinae decursu gravior evolvatur ab alia causa repetendus morbus. — Anno 1801. filiolus opulenti cujusdam viri certa quadam die inseri debuisset, quod tamen ob aliud casu interveniens negotium intermittitur; triduo serius comparens insitor infantem, prius sanum, ex convulsionibus mortuum reperit, id, quod sine dubio vaccinae adscriptum fuisset, nisi casu fortuito differri debuisset insitio.

lignum adferant morbum, parte vero alia nullum praestent adversus variolas humanas praesidium.

Pustulas spurias nonnunquam occurrere nemo quidem negabit; causa vero ejusmodi degenerationis vel in peculiari organismi dispositione, evolvendae genuinae vaccinae haud capaci, vel in fomite adhibito quaerenda est. Ubi requisita deest constitutio, pustulae spuriae nullam adferre sveverunt molestiam, quam saepius repetendae insitionis necessitatem. Quodsi degeneratio a fomite corrupto, aut alio plane contagio inquinato promanaverit, incautus insitor unice culpandus erit.

5) Sunt, qui dicant: variolae vaccinae in humanum corpus translatae effectum hactenus esse nocivum, ut infantile corpus proclive reddat ad diversos morbos cutoneos, ad rhachitidem, malum scrophulosum, hydrocephalum acutum, tussim convulsivam.

Quemadmodum vel a priori merito infertur, variolas humanas, quaevis organismi systemata in obnormem metamorphosin rapientes, longe majorem corpori inferre debere stragem ac vaccinam mitissimam (§§. 10. 12.); ita sane experientia docet, infantes, .variola vaccina rite defunctos, a malo scrophuloso et rhachitico, aque impetiginibus et aliis chronicis morbis multo rarius affici, quam variolarum humanarum gravi morbo labefactatos. Ubi vero scrophulae et alii chronici in-

fantum morbi nimium vigent, id aliis potius causis adscribendum erit, et constat, mala haec ab eo inde tempore, ex quo variola tutoria in communem usum adducta habetur, aucta nullatenus fuisse, quin imo in genere mitiora evasisse.

6) Ajunt dein: variolas communes generi humano jam adeo ingenitas esse, ut deleri haud possint, imo contrarium potius fore naturae cursui, cohibere velle naturae regulam, quo fieri omnino deberet, ut variolarum humanarum forma mutata, et morbo necessario suppresso, multo graviora provocentur mala. Hinc igitur esse, ut a tempore, quo variola vaccina in communem usum vocatur, febris scarlatina, hydrocephalus acutus, angina membranacea, tussis convulsiva, acutae et chronicae viscerum abdominalium inflammationes, aliique infantiles morbi non tantum frequentius occurrant, verum etiam malignitatem majorem exserant.

Morbum aliquem ad humani generis naturam ea ratione spectare, ut tanquam necessarius sine majore periculo restringi aut cohiberi non possit, nemo certo adstruet, nisi naturae legem negare voluerit, qua eadem statum integrum conservare ubique nititur. Quemadmodum morbus omnis naturae est aberratio, per nocivas et fortuitas causas procurata; ita et malum variolosum, in certis quibusdam mundi plagis sub inimico adminiculorum concursu evolutum, et saeculo X. primum

latius diffusum, tanquam morbus humano generi haud insitus, et cum aliis calamitatibus profligandus, considerari debet.

Memoratos autem infantiles morbos a tempore, quo variolae vaccinae insertio usu venit, frequentius occurrere, et malignitatem, prius nunquam visam, induisse, cum experientia et morborum eorum, longe ante ipsas humanas variolas observatorum, historia pugnat penitus, quin imo constat potius, eosdem morbos mitiores reddi per vaccinae insitionem.

7) Censet vulgus, malignitatem humorum, quae per morbum variolosum e humano corpore egeratur, vaccinae insitione retineri, atque sic morbis gravissimis praeberi occasionem.

Copiosae pustulae, quae in morbo varioloso cutim universam saepe inundant, et majorem puris quantitatem secernunt, ut notum est, graves potius post se trahunt sequelas. Constat enim, aegrotos in tanto majus adduci vitae periculum, quanto major est pustularum invicem confluentium numerus, et sanitatem pari fere ratione a perpessis variolis labefactari. Maligna autem materies, quae sub variolarum decursu generatur, aeque corpore eliminatur, morbosi processus est productum, quod ex insontis materiae corruptione, cum manifesta organismi jactura incedente, promanat. Prout igitur nec alii morbi, similem organismi humani destructionem et colli-

quationem post se trahentes, salutares censentur, ita sane nec morbus variolosus utilis declarari unquam potest.

8) Denique sunt, qui dicant: variolae vaccinae insitionem vel ex eo damnandam esse, quod fomes a bruto desumtus, brutalem tandem naturam indere humano generi possit!

Praetermisso eo, quod natura humana longe altius quam in materiarum qualitatibus sit locata, absonum plane est adstruere, organismum vivum guttulae parte in aliam sibique prorsus heterogeneam mutari posse naturam, cum cibo quotidie utimur animali aut vegetabili, et infantes animalium lacte enutriri videamus, humani generis natura constanter eadem permanente.

Caput II.

De publica rei vaccinae administratione.

§. 14.

Priores in hoc negotio editi ordines.

Variolae vaccinae insigni virtute per plurium annorum experientiam comprobata, usus ejus in Regnum universim introducendus, publicaque auctoritate procurandus, et solertissime promovendus jubetur *). Ut vero salutaris vaccinae insitio optatum capiat initium, ac majorem mox nanciscatur in quibusvis Regni partibus progressum, principia sequentia, a Regni Protomedico condita **), et huic scopo congrue deservientia, ubique observanda ac sustinenda publicantur.

---

*) Circ. Int. de 13. Martii anni 1804. Nro. 5,524. — His ordinibus prius tamen erat Circ. Int. de 6. Julii a. 1802. Nro. 14,216. quo Doctoris *Franc. Bene* populare opusculum de variolae vaccinae origine, natura et insitionis ratione, hungarico sermone editum, Regni Jurisdictionibus commendabatur.

**) Principia haec cum ceteris adnexis Regni Protomedicus *Franc. Schraud* erga Intim. 12. April. anni 1803. Nro. 8,862. elaboravit.

1) Requiritur ante omnia, ut certa pro amplitudine Districtuum, in quos Regnum dispescitur, constituantur loca, ubi genuinus et rite conservatus vaccinae fomes omni tempore haberi possit *).

2) Cum intersit praecipue, ut medici et chirurgi requisitis imbuantur in hoc objecto cognitionibus, succinctae praeceptiones de variolae vaccinae natura et indole, subjunctis regulis et practicis cautelis, penes insitionem observandis, communicantur **). Injungitur una medicis et chirurgis, ut insitiones statutis peragant temporibus, et insertorum ducant protocolla, concernenti Jurisdictioni suo tempore exhibenda.

3) Necesse praeterea est, ut cives, vulgus praecipue, ad recipiendum vaccinae beneficium optimo quo fieri potest adducantur modo; quem in finem populare scriptum, vaccinae emolumenta in se complectens, pro distributione adnectitur ***). Scopo eodem animarum curatores requisiti habentur, ut curae suae creditum populum de insitionis majore utilitate edoceant, et parentes ad praestandum hoc erga liberos suos christianum offi-

---

*) Loca, in quibus fomes vaccinae conservandus tunc erat, Buda, Pestinum, Posonium, Zagrabia, Cassovia et Gyula, designabantur.

**) Harum praeceptionum puncta suis exponentur locis.

***) Populare id scriptum, in linguas vernaculas versum, et circ. Intim. anno 1801. Nro. 5521. adnexum.

cium admoneant, utque insitoribus opera sua et consilio adsistant, et rem salutarem, repetitis ad singulos cives hortationibus, fulciant ac promovere satagant *).

4) Ut variolae vaccinae negotium ubique rite tractetur, directioni et superinspectioni subjicitur. Huic autem directioni incumbet, de genuino vaccinae fomite constanter prospicere, dubias insitorum quaestiones mature decidere, et relationes ab iis deposcere, de negotii successu de tempore in tempus renunciare, annuas facere circa magis perficiendum id institutum propositiones, et rei eventum, domi et foris observatum, Patriae medicis notum reddere **).

5) Ut major apud populum excitetur in rem salutarem fides, variolae vaccinae insitio publice, et requisita cum auctoritate instituenda jubetur. Eum autem in finem Physicus Comitatus insitiones primum in loco principe ac in praesentia Magistratus primorum, Vice-Comitis, Assessorum, Parochi localis, aliorumque distinctioris characteris virorum, medicorum item et chirurgorum instituet, et revidebit insitos pari cum solennitate 3.

*) Eodem Intim. Episcopi dioecesani et Superintendentiae August. et Helv. Conf. provocabantur.

**) Directiones hae, tanquam primordia serius conditarum Deputationum, Budae et Pestini Regni Protomedico, Zagrabiae Regni Croatiae Physico (Protomedico), in ceteris vero locis Comitatuum Physicis creditae.

7. 10. et 14. diebus. Ex hoc dein loco variola vaccina per districtum ultra propagabitur.

6) Suberunt omnes insitores Physico magistratuali, a quo insitiendi facultatem petendam habebunt, et praestabunt eidem de hoc negotio a se gesto relationes; in ipsa autem insitionis functione chirurgis districtualibus suberunt, nisi Physicus Comitatus in casu singulari aliter constituendum esse censuerit.

7) Denique assistent personae magistratuales medicis et chirurgis, variolam vaccinam insitientibus, et injungent locorum primoribus promtum in salutari hoc negotio obsequium *).

§. 15.

Ulteriores circa rite providendum variolae vaccinae institutum ordines.

Cum constet, variolae vaccinae insitionem generi humano adeo utilem esse, ut ejus ope magna populi pars a praematuro servari possit interitu; Sua Majestas Sacratissima pro paterna sua sollicitudine salutare id negotium ubique ita admi-

---

*) His in Regno Hungariae ordinatis b. Decr. Aul. de 31. Aug. anni 1804. Nro. 8,599. Cons. 20,829. ea, quae Sua Majestas Sacratissima erga propositionem scr. *A. D. Caroli*, audita eatenus E. C. R. Cancellariae Aul. Unit. et Cons. Aul. a *Stifft*, in ceteris Monarchiae Austr. provinciis eo in merito observanda clementer jussit, communicabantur.

nistrandum clementer jubere dignabatur, ut scopo suo quam optime respondeat, eo addito, ut res vaccinae in Regno Hungariae, quantum per locales circumstantias et Regni Constitutionem licuerit, eadem ratione ordinetur, prout in ceteris haereditariis C. R. Ditionibus ordinata habetur, quo uniformitas circa id institutum ubique obtineatur *). Ut igitur altissimae huic intentioni pro adminiculorum in Regno vigentium ratione penitus satisfiat, et popularibus hac in parte debite succurratur, vaccinae negotium per Regnum universum et partes eidem adnexas ex uno eodem obtutu dirigendum, et solertissime promovendum praecipitur **).

§. 16.

Rei vaccinae Directio.

Quaevis negotia, rem vaccinae attinentia, Consilium Regium Locumtenentiale Hung. per Regnum

*) B. Decret. aul. de 5. Dec. anni 1806. Nro. 11,847. planum, per Cons. Aul. et Protomedicum a *Stifft* elucubratum, submissum, ut audito R. H. Protomedico opinio depromatur, quatenus idem in Regno Hung. obtinere queat. Opinio eatenus depromta d. 19. Jan. a. 1808. Nro. 23,947. Supervenit alt. resolutio b. Decret. Aul. d. 10. Sept. a. 1808. Nro. 9,961. quo R. Protomedicus d. 4. Oct. Nro. 21,944. jussum, ut conformes elucubret instructiones.

**) B. Decret. Aul. d. 5. Nov. a. 1813. Nro. 13,627. vaccinae negotium penitus ordinatum. Eodem a. d. 30. Nov. Nro. 28,769. Circul. Int. eodem in merito cum instructionibus ad cunctas Reg. Jurisdictiones dimissum.

universum et partes eidem adnexas dirigit, et utitur eo in objecto Regni Protomedici opera, cui res sanitatis ceteroquin concredita est *). Quidquid igitur ad rite tractandum et alacriter promovendum variolae vaccinae negotium pertinet, dirigente hoc Dicasterio Regio procuratur et intimatur, prout relationes quaevis, propositiones ac petitiones, id negotium quoquomodo respicientes, per Regni Jurisdictiones eidem Consilio Regio praesentandae veniunt **).

§. 17.

Magistratuum circa vaccinae negotium cura.

Siquidem intersit quam maxime, ut saluberrimum vaccinae institutum in Regno quam solertissime promoveatur, ad mentem benignarum Suae Majestatis Sacratissimae Resolutionum publicis Regni Jurisdictionibus et quibusvis Magistratibus serio ac distincte injungitur, ut hujus negotii curam diligentissimam et assiduam gerant ***). In-

---

*) B. Decret. Aul. de 5. Nov. a. 1813. Nro. 13,627. Circ. Int. ejusdem a. Nro. 28,769.

**) B. Decret. Aul. de 2. Junii a. 1815. Nro. 7,262. et aliud de 9. Junii a. 1826. Nro. 6,578. Circ. Int. ejusdem a. Nro. 17,186.

***) B. Decret. Aul. de 5. Nov. a. 1813. Nro. 13,627. Circ. Int. de 30. Nov. ejusdem a. Nro. 28,796. — B. Decret. Aul. de 2. Junii a. 1815. Nro. 7,262. Circ. Int. de 13. Junii ejusdem a. Nro. 17,141.

cumbit autem Comitatuum, Districtuum, et L. R. Civitatum Magistratibus: editas hactenus et deinceps edendas in hoc objecto normales Resolutiones in sui gremio toties, quoties opportunum ac necessarium fuerit, publicare, et concernentibus individuis pro debita observantia communicare; medicos et chirurgos, praecipue eos, qui in publico munere constituuntur, ad solerter, et juxta altius praescriptas regulas instituendam variolae vaccinae insitionem provocare, ac pro re nata etiam stringere; zelosos et in hac sphaera majorem in modum meritos Consilio Regio Locumtenentiali pro consequenda remuneratione aut praemio proponere *); in segnes vero, aut renitentes plane, pro delicti ratione animadvertere **); insitoribus, in functione sua constitutis, personarum magistratualium assistentiam ***), ubi eadem necessaria fuerit, omni tempore, prout et vecturas necessarias ****) praestare, atque sostra, apud pauperes homines in eodem negotio promerita,

*) Circ. Int. de 30. Nov. anni 1813. Nro. 28,769. — Ben. Decret. Aul. de 24. April. a. 1824. Nro. 6,053. et de 9. Junii a. 1826. Nro. 6,578. Circ. Int. de 4. Julii ejusd. a. Nro. 17,186.

**) Circ. Int. de 21. Sept. a. 1819. Nro. 26,540. et de a. 1826. Nro. 17,186.

***) Circ. Int. de 13. Martii a. 1804. Nro. 5,524., item de 10. Junii a. 1817. Nro. 16,899. et de a. 1826. Nro. 17,186.

****) Circ. Int. de 1. Aug. a. 1815. Nro. 22,027. et de a. 1826. Nro. 17,186. — B. Decret. Aul. de 25. Maj. 1827. Nro. 6,399. Nro. Cons. 20,104. ejusdem anni.

et liquide edocta, iis ex aerario suo assignare *); homines pro insitionis negotio minus idoneos ab eadem opera severius prohibere **), et omnem in gravi hoc negotio praecavere errorem; relationes circa insitos de tempore in tempus a Physico ac filiali Deputatione, id negotium procurante exigere, et tempestive Consilio Regio Locumtenentiali submittere; ea, quae circa filiales Deputationes et secus in re vaccinae praescribuntur, ad amussim observare, exequi et observari facere; plebem ad recipiendum salutare id remedium congruo modo adducendum procurare; locales Magistratus ad solertem hoc in merito operam stringere, et omnia, quae localia adjuncta suadent, quaeve ad alacriter promovendum id institutum conferre possunt, ordinare ***).

§. 18.

Vaccinae insitio ad medicorum et chirurgorum munera refertur.

Quemadmodum medicis et chirurgis in genere incumbit, omnia sollicite administrare, quae

*) Complur. b. Decret. Aul. et Circ. Intim.

**) Circ. Int. de 13. Martii a. 1804. Nro. 5,524. — Ben. Decret. Aul. de 28. Octob. a. 1814. Nro. 13,937. Int. Aradiensi et Temesiensi Comitat. ac Regni Protomedico de 8. Nov. a. 1814. Nro. 29,203. Circ. Int. de 21. Sept. a. 1819. Nro. 26,540.

***) Ben. Decret. Aul. de 24. Aug. a. 1827. Nro. 11,059. Circ. Intim. de 9. Octob. ejusdem a. Nro. 26,401.

ad praecavendos hominum morbos faciunt, ita et variolae vaccinae solertissima insitio iis de altissimo jussu Regio injungitur. Demandatur .autem ejus negotii cura assidua Physicis praecipue et Chirurgis, in publico munere constitutis, ut in eos, qui id opus segnius tractant, vel renitentes plane idcirco advertuntur, gravius sit animadvertendum *).

Physicorum munera in hoc objecto sunt: rem vaccinae in provincia sua generatim solerter promovere, et ceteris sanitatis individuis zeli majoris praeire exemplo; de geniuino et recenti vaccinae fomite, in ambitu Jurisdictionis omni tempore conservando, prospicere; Chirurgos in omnibus, quae ad rite administrandam variolam vaccinam faciunt, debite instruere, et vigilare, ne insitionis opera a hominibus minus idoneis, aut obviis plane tractetur; relationes, juxta formam altius praescriptam exaratas, ab omnibus insitoribus exigere, et concernenti Magistratui debito tempore ac juxta ordines praescriptos exhibere; circa generalem in Jurisdictionis ambitu quovis anno suscipiendam insitionem, quo ordine, quo tempore, et per quos peragendam, necessarias facere dispositiones, et ubique invigilare, ut insertiones bono cum fomite

---

*) Circ. Int. de 13. Martii a. 1804. Nro. 5,524. B. Decret. Aul. de 5. Nov. a. 1813. Nro. 13,627. Circ. Int. de 30. Nov. ejusdem a. Nro. 28,769. B. Decret. Aul. de 9. Junii a. 1826. Nro. 6,578. Circ. Int. de 4. Julii ejusdem a. Nro. 17,186.

ac rite instituantur, insiti protocollis debite inserantur, et statutis periodis revideantur; naevos omnes circa id negotium observatos, seu ad personas medicinales referantur, seu plebem concernant aut alia individua, Magistratui detegere, et remedia, quae promovendae vaccinae opitulantur, concernenti loco proponere; insitores majorem in modum meritos indicare; Deputationi filiali, vaccinae negotium procuranti, intervenire, aut pro re nata praeesse, et soleriter invigilare, ut normales in eodem negotio editae resolutiones omni tempore ac ubique locorum ad amussim observentur; denique populum praejudiciosum aut renitentem de meliori edocere, et blandioribus remediis ad recipiendam salutarem vaccinam adducere.

Chirurgis in publico munere constitutis incumbit: filialis Deputationis in re vaccinae operantis decisa et ea, quae Physicus jusserit, rite perficere; insitionis operam in designatis sibi locis soleriter, assidue et juxta receptam instructionem peragere; insitos statutis temporibus revidere, vaccinae decursum sedulo observare, et fideliter adnotare; protocolla insitorum diligenter et juxta praescriptam formam ducere, et Physico tempestive exhibere; normales circa id negotium editos ordines omni tempore et ubique observare, atque plebem humano ac mansueto modo ad recipiendam variolam tutoriam invitare.

Medici et chirurgi, variolae vaccinae negotium privatim tractantes, militares quoque, quatenus insitiones apud civilis status homines instituunt, regulas eatenus praescriptas observare tenentur, ut igitur apud filiales eam rem procurantes Deputationes, vel saltem apud Jurisdictionis Physicum semet insinuare, habilitatem suam in tractando eo negotio comprobare, inserendi facultatem sibi expetere, et protocolla super factis insitionibus, praescripta forma exarata, exhibere debeant, secus ab omni tali opera serio inhibendi *).

§. 19.

Commissio centralis in re vaccinae ordinatur.

Sua Majestas Sacratissima iis, quae salutem fidelium suorum subditorum, et vitae eorundem conservationem, inde a primis ejusdem initiis concernunt, continuo paterne intenta, benigne annuere dignabatur, ut fine propagandi, ac debite ad scopum dirigendi saluberrimi vaccinae instituti, ea in Hungariae Regno quoque ordinentur, quae salutare id negotium quam optime promoveant.

Cum autem ante omnia intersit, congrua disponere, ut insitionis negotium in Regno ex uno tractetur obtutu, et ubique locorum certae sub-

*) Circ. Intim. de 29. Julii a. 1817. Nro. 22,232. et de 9. Oct. a. 1827. Nro. 26,401.

jiciatur directioni: Altefata Sua Majestas *Deputationes*, rem vaccinae procurantes, ordinandas benigne praecepit *).

Eum igitur in finem *Deputatio* seu *Commissio centralis*, quae Budae sub oculis Regii dirigentis Dicasterii vaccinae negotium procuret, et reliquis, in Regni Jurisdictionibus, eidem objecto praefectis *Deputationibus*, pro exemplo deserviat, condenda videbatur. Praesidium centralis hujus Commissionis Regni Protomedicus, cui directio universi vaccinae instituti in Regno ceteroquin concredita est, constanter geret.

Membra stabilita ejus Commissionis sunt, Facultatis Medicae Reg. Scient. Universitatis Professores et Physici ordinarii Civitatum Budensis et Pestiensis, et possunt alii quoque medicinae et chirurgiae Doctores, de vaccinae negotio bene meriti, vel erga petitionem, vel a membro Commissionis commendati, per Praesidem eligi, et tanquam membra Commissionis denominari. Munera hujus Commissionis sequentibus definiuntur:

1) Tractantur negotia, ad sphaeram hujus Commissionis spectantia, in ordinariis consessibus, quorum singulo anno duo, verno quippe et autumnali tempore, servantur, et tenentur quaevis Deputationis membra tempore et loco,

---

*) B. Decret. Aul. de 5. Nov. a. 1813. Nro. 13,627. Circ. Int. de 30. Nov. ejusdem a. Nro. 28,769.

per Praesidem indicatis, comparere. Occurrente vero objecto peculiari, majorem deliberationem poscente, medio etiam tempore membra ad Commissionem per Praesidem invitari ac convocari poterunt.

2) Praecipua centralis Commissionis opera in eo consistit, ut universum variolae vaccinae negotium ob insignem, quam humano generi adfert utilitatem, in Regno Hungariae condigna capiat incrementa. Istum in finem de obstaculis, salutare id institutum remorantibus, deque remediis, quibus instituti scopus (*variolarum humanarum exterminatio*) quanto citius ac tutius obtineri quiret, in medium consulet, et exhibebit Praeses propositiones, quas Commissio centralis omni respectu idoneas censuerit, Consilio Regio Locumtenentiali.

3) Cum genuinus vaccinae fomes ante omnia requiratur, ut insitiones optatum sortiantur effectum, et vaccinae institutum quam optime promoveatur; centralis Commissio eo praecipue convertendam habet curam, ut recens et genuina vaccinae lympha omni tempore praesto sit, quo eadem petentibus suppeditari, et ad remotiores etiam Regni partes, quoties necessaria fuerit, mitti possit.

4) Hoc autem fine centralis Deputatio insitoribus debite informatis certas in utraque Civitate inque suburbiis assignari faciet plagas, in quibus autumali et hyemali tempore, quo com-

munis insitio fieri non solet, per circuitum quavis septimana aliquot infantes insitiant, hacque ratione fomitem recentem perpetuo tramite conservent. Physicorum utriusque urbis ordinariorum vero est, huic instituto ea ratione invigilare, ut lympha recens, de brachio in brachium inserendo, nunquam deficiat, et genuinus, ab omni peregrino contagio liber fomes, constanter conservetur.

5) Incumbit omni humani istius instituti membro, solerter invigilare, ut vaccinae negotium in utriusque Civitatis ambitu quam sedulissime et juxta regulas praescriptas tractetur; ut errores omnes in gravi hoc negotio praecaveantur, vel saltem protinus emendentur; ut insitores obvios, inque insitionis opera haud versatos, nec ulla ratione ad obeundum hoc munus auctorisatos, ab omni ulteriori insitionis exercitio inhiberi faciant, et Praesidi indicent; ut denique medicos et Chirurgos, uberiorem circa insitionis negotium informationem expetentes, debite instruant, et vaccinae fomitem quibusvis, etiam extraneis insitoribus, omni tempore, promtoque animo suppeditent.

6) Pertinet denique ad Commissionis centralis ejusque Praesidis officia, eos notare, qui de vaccinae negotio insigniter sint meriti, et si communia membrorum conspirent suffragia, Consilio Regio Locumtenentiali pro exoperanda condigna, altissimo loco clementer adpromissa remunera-

tione, proponere, atque immeritos indicare, ut pro delicti ratione puniri valeant *).

§. 20.

Deputationes filiales in Regni Jurisdictionibus instituuntur, et munera eorum definiuntur.

Siquidem intersit, ut vaccinae insitio per Regnum universum quam solertissime eaque ratione tractetur, ut salutaris Instituti scopus ubique obtineatur; Sua Majestate Sacratissima benigne annuente, in quovis Comitatu inque L. R. Civitatibus et Districtibus separatas portas habentibus *filiales Deputationes*, quae sub concernentium Jurisdictionum inspectione rem vaccinae juxta normam altius praescriptam procurent, ordinantur **), quarum institutio et munera sequentibus defininiuntur.

1) Arbitrio Jurisdictionum quidem committitur, Praesidium harum Deputationum vel primario suo Physico, vel alteri cuidam e sui gremio deferre viro; rei tamen gravitas deposcit, ut Magistratus tales constituant filialium Deputationum, rem vaccinae procurantium Praesides, qui non

---

*) Instructio et praecepta Commissionis centralis ad propagationem insitionis vaccinae in Regno Hungariae. De 20. Augusti, a. 1812.

**) B. Decret. Aul. de 5. Nov. a. 1813. Nro. 13,627. Circ. Int. de 30. Nov. ejusdem a. Nro. 28,769.

modo sufficiente polleant auctoritate, verum etiam de laudabili in promovendo patientis humanitatis zelo noti sint, quive saluberrimum id institutum omni tempore cordi sibi habeant *).

2) Membra harum Deputationum stabilia sunt Physici et alii medicinae ac chirurgiae Doctores, in publico munere constituti, vel secus stipendio aliquo ex aerario publico provisi. Possunt tamen et alii medicinae et chirurgiae Doctores, imo et chirurgiae Magistri, si cetera de vaccinae negotio bene meriti sint, per Praesidem et Assessores in membra Deputationis eligi, perque concernentem Jurisdictionem Consilio Regio Locumtenentiali pro confirmatione proponi.

3) Consessus ordinarii harum Deputationum duo quoque singulo anno servandi sunt, ut in consessu vernali necessariae ab hinc fiant dispositiones circa communem in gremio Jurisdictionis inque loco singulo instituendam insitionem; in autumnali vero sessione protocolla insitorum revidentur, et disponuntur ea, quae circa conservandum medio tempore usque vernale tempus recentem vaccinae fomitem necessaria sunt. Praesidis est, locum et diem consessuum determinare, et tenentur Deputationis membra erga Praesidis

---

*) B. Decret. Aul. de 25. Maj. a. 1827. Nro. 6,399. erga Repraes. Cons. R. Locumtenentialis de 10. April. ejusdem a. Nro. 9,707. Rel. de 31. Julii ejusdem a. Nro. 20,104. Circ. Int. de 9. Oct. a. 1827. Nro. 26,401.

invitationem comparere, estque his integrum, necessitate id poscente, etiam extraordinarias expetere sessiones.

4) Munera Deputationum filialium omnia eo diriguntur, ut vaccinae negotium in concernentibus Jurisdictionibus quam diligentissime et normalibus ordinationibus conformiter tractetur. Eum vero in finem sequentia iis injunguntur:

5) Cum a genuino et efficaci variolae vaccinae fomite omnis dependeat insitionum effectus, cumque parentum fiducia erga salutare vaccinae institutum procurari, augeri et firmari tunc nonnisi possit, ubi insitores sincera et bonae indolis vaccinae materia constanter provisi fuerit; filialibus Deputationibus de benigno jussu Regio praecipue ac strenue injungitur, congruos facere ordines, ut variolae vaccinae recens ac genuina lympha in concernente Jurisdictione omni tempore praesto sit. Hoc autem scopo disponet Deputatio, ut mensibus autumnalibus et hyemalibus, quibus communis insitio institui non solet, quavis hebdomada duae aut tres proles de brachio in brachium inserantur, utque recens materies, quae erumpentibus alicubi variolis humanis, et secus etiam, in usum communem vocari possit, perpetuo tramite conservetur. Incumbit autem specialis et sollicita circa hoc objectum cura Physicis publicis (§. 18.) ea ratione, ut in casu defectus genuini vaccinae fomitis ad onus responsionis attrahendi, et repe-

tito tali officii neglectu graviori etiam animadversioni subjiciendi sint *). Si vero sollicitudine ea non obstante contingeret, recentem exstingui vaccinae fomitem, filialis Deputatio sine omni mora lympham genuinam vel a vicina quadam Jurisdictione, vel demum a centrali Commissione, ad Physicos ordinarios Budenses aut Pestienses eatenus se convertendo, requirendam habebit **). Ad praecavendum autem, aut saltem protinus supplendum recentis vaccinae materiae defectum, Deputationis Praeses et Physicus ordinarius successivae insitioni, per constitutos insitores in certis locis aut Civitatis quadrantibus perficiendae, constanter intenti erunt.

6) Cum praeterea optatus insitionis variolae vaccinae effectus, et salutaris instituti progressus tunc sperari saltem possit, ubi id negotium omni in casu rite et juxta artis regulas tractatur; Deputationis filialis membra, primarius praecipue Physicus, serio invigilabunt, ne ullus in eadem opera minus versatus, aut obvius plane homo, grave id negotium pro majori rei detrimento exerceat, eritque officii eorum, tales ab ulterioris operationis exercitio protinus inhibere, et Deputationis Praesidi indicare. Incumbit praeterea Deputationis

*) Circ. Int. de 4. Julii a. 1826. Nro. 17,146. 8).

**) B. Decret. Aul. de 25. Maji a. 1827. Nro. 6,399. Rel. de 31. Julii, ejusdem a. Nro. 20,104.

membris, insitores, ad tractandum vaccinae negotium admissos, debite instruere et dirigere, iisque assidue invigilare, ut in adminstranda variola vaccina regulas, altiore loco praescriptas, ubique observent, et delatam sibi provinciam rite explcant.

7) Quemadmodum filialis Deputationis membra solerte vaccinae insitione ceteris insitoribus optimo praeibunt exemplo, ita obstacula quaevis, salubre negotium quoquo modo remorantia, pro virium ratione removere studebunt. Suppeditabunt praeterea fomitem vaccinae genuinum, extraneis quoque, medicis et chirurgis; edocebunt plebem de insitionis utilitate, et allicient parentes mansueta ratione ad recipiendum, liberis suis tam salutare remedium.

8) Pertinet praeterea ad munera Physicorum et quorumvis membrorum Deputationis, characterem variolae vaccinae constanter observare et advertere, ne pustulae spuriae usquam pro genuinis declarentur, neve degeneratae vaccinae materies ultra propagetur. Inspicient hinc frequenter infantes, ab aliis etiam insitoribus insertos, adnotabunt pustularum dubii characteris casus, inhibebunt lymphae similium pustularum usum, et disponent, ut tales infantes iteratis vicibus efficaci imbuantur fomite.

9) Incumbit filialibus Deputationibus, protocolla insitorum, juxta altius praescriptam for-

mam exarata, a quibusvis insitoribus, seu privati sint medici ac chirurgi, seu in publico quodam munere constituti, exigere et diligentius revidere. Ubi Deputatio filialis exhibita sibi protocolla quocunque respectu defectuosa adverterit, eadem concernentibus insitoribus cum eo restituet, ut defectus observatos corrigant, et debite adornatas relationes intra terminum breviorem rursus exhibeant. Revisa autem et in unum collecta omnium, per totius anni decursum in Jurisdictione insertorum infantum protocolla, additis etiam pro re nata animadversionibus suis, concernenti Magistratui tempestive exhibebit filialis Deputatio, ut Consilio Regio Locumtenentali usque finem Januarii anni succedentis praesentari saltem possint.

10) Injungitur praeterea filialibus Deputationibus, ut quovis anno referant, an variolae humanae vere tales medio tempore, sporadicae aut epidemicae plane grassantes, in Jurisdictionis ambitu observatae fuerint, quotne individua ex eodem morbo varioloso in genere occubuerint, anve aliqua inter illa, quae morbo varioloso correpta fuere, inventa sint, de quibus certo constaret, variolam vaccinam genuinam et rite observatam praecessisse, et an aliqua ex his individuis sint mortua?

11) Exhibebunt eaedem filiales Deputationes quovis anno concernenti Magistratui omnium in-

dividuorum, ad Deputationem spectantium, et eorum, qui vaccinae insitione in Jurisdictionis ambitu occupantur, Consilio Regio Locumtenentiali substernendam consignationem, nomine et charactere cujusvis adnotatis.

12) Pertinet porro ad filialium Deputationum provinciam, medicos et chirurgos suae Jurisdictionis, qui relationes suas super peractis vaccinae insitionibus exhibere neglexerint, vel in genere salutare negotium segnius tractaverint, ad majorem in explendo hoc officio diligentiam, et omnigenam eatenus praescriptorum altissimorum Ordinum observantiam provocare et admonere. Nimium morosos vero aut renitentes plane, concernenti Magistratui fine promeritae animadversionis indicabunt filiales Deputationes. Eos denique, qui diligentia peculiari et zelo assiduo in promovendo vaccinae instituto se distinxerint, suffragiis communibus pro exoperanda altissimo loco clementer promissa benigna remuneratione proponent.

13) Habebunt filiales Deputationes sibi curae, ut normales in re vaccinae editae resolutiones concernentibus personis de tempore in tempus publicentur inque memoriam revocentur, ut scripta in hoc objecto popularia inter plebem debite distribuantur, et congregato communitatum populo, congruo tempore praelegantur.

14) Quia denique testimoniorum super variola vaccina rite superata *), vel insitoribus super habilitate in tractando vaccinae negotio exarandorum ratio deposcit, ut major iis concilietur fides et auctoritas; Sua Majestate benigne annuente filialibus Deputationibus admittitur, ut sigillo utantur cum inscriptione: *Sigillum Deputationis filialis rei vaccinae N. N.*, sumtibus tamen privatis comparando **).

§. 21.

Summa eorum, quae in rite procurando vaccinae negotio ordinantur.

Ut vaccinae institutum salutari suo scopo omnino respondeat: insitiones debita ratione ubi-

---

*) Formula hujus testimonii, Circ. Int. de 30. Nov. a. 1813. Nro. 28,769. adnexa, sequentis est tenoris:

Kuhpocken-Impfungs-Zeugniss.

N. N. alt gebürtig von N. aus N. N. ist vom Unterzeichneten im Jahre 18 den mit Kuhpockenstoff geimpft worden, und hat die echten Kuhpocken ordentlich überstanden.

Den 18

N. N.
Comitats- Districts- oder
Stadt-Physicus oder Impfarzt.

**) Instructio et praecepta Commissionum filialium ad propagationem insitionis vaccinae in Regno Hungariae stabilitarum. Adnexa Circ. Int. a. 1813. Nro. 28,769. — Conf. Circ. Intim. de 4. Julii a. 1826. Nro. 17,186.

que instituantur, quantumque licuerit omnis succedens soboles variola tutoria inseratur *), et morbus variolosus, humano generi adeo infestus, penitus tandem e Regno exterminetur; benignae Resolutiones Regiae, hoc in merito editae, ubique locorum ad amussim observandae praecipiuntur. Redit autem altissimorum eatenus publicatorum ordinum summa ad sequentia: ut congruo modo prolium succrescentium numerus ubique notetur; ut insitores bene edocti et numero sufficiente in omni Regni parte constituantur; ut iidem necessariis provideantur technicis et politicis instructionibus; ut insitio vaccinae certo quodam ordine et tempore maxime idoneo suscipiatur; ut debitus fiat infantum vaccina inserendorum delectus; ut insertae proles statuto tempore revideantur, et pro re nata testimoniis eatenus provideantur; ut insiti omnes protocollis, juxta praescriptam formam concinnandis, inserantur, suoque tempore loco concernente exhibeantur; ut omnis Jurisdictio protocolla insitorum cum relatione super progressu ejus negotii singulo anno Consilio Regio Locumtenen-

*) Calculo statistico statuitur, populationem ita fere se habere, ut anno singulo quivis *trigesimus* homo neonatus sit. Si igitur insitio variolae vaccinae ea, qua par est, diligentia tractetur, eadem debet esse ratio insitorum ad universum cujusvis loci populi numerum, nisi constet, majorem prolium numerum primo vitae anno et ante insitionem mortuum fuisse. Conf. Ben. Decret. Aul. de 16. Maji a. 1817. Nro. 6,002. Nro. Cons. 16,899. a 1817.

tali exhibeat, et institutum vaccinae, adhibitis quibusvis eo conspirantibus adminiculis, promovere satagat. Juvabit nunc ea, quae ad communem variolae vaccinae insitionem referuntur, speciatim exponere.

§. 22.

Conscriptio prolium vaccina inserendarum.

Cum insitionis negotium ea ratione tractare oporteat, ut omnis infans vaccinae beneficii particeps reddatur, nullusque variolarum humanarum malo expositus relinquatur, et omnis praecaveatur propagandi horribilis contagii occasio; prolium variolae recipiendae capacium numerus ubique locorum semper constare debet. Hunc autem in finem penes ecclesiasticas Jurisdictiones de benigno jussu Regio dispositum habetur, ut animarum curatores cujusvis loci neonatarum prolium conscriptionem, e matricula babtisatorum extractam, quovis semestri concernenti civili Jurisdictioni exhibeant. Hi vero extractus filialibus Deputationibus, rem vaccinae procurantibus, et insitoribus pro congruo usu communicandi jubentur *).

*) Ben. Decret. Aul. de 16. Maji a. 1816. Nro. 6,002. Circ. Int. de 10. Junii a. 1817. Nro. 16,899. et Circ. Int. de 15. Febr. 1820. Nro. 3,956. Item Circ. Int. de 21. Sept. a. 1819. Nro. 26,540.

Casum in eum, si ejusmodi baptisatorum conscriptio praesto non fuerit, insitores occasione communis vaccinae insertionis prolium necdum insitarum conscriptionem a concernentibus animarum curatoribus requirent, vel a communitatum judicibus exigent *), quemadmodum et judaicae communitates suae nationis neonatorum conscriptionem tali tempore exhibere tenentur.

§. 23.

Ordines circa constituendos idoneos insitores.

Siquidem variolae vaccinae negotium summi sit momenti, ut adeo quam cautissime omnique cum solertia tractari debeat; Sua Majestate Sacratissima benigne jubente quibusvis Regni Jurisdictionibus injungitur, ut de idoneis insitoribus, ubique locorum constituendis, omni tempore sint sollicitae. Eum autem in finem sequentia constituuntur:

Instituti ratione id exigente, variolae vaccinae insitio nonnisi talibus individuis admittitur, de quorum requisita habilitate nullum subversatur dubium, nec ulli licet tractare hoc negotium, quam auctoritate publica constitutis. Nemo igitur in genere, nisi Medicus sit aut Chirurgis, Diplomate

*) B. Decret. Aul. de 24. April. a. 1824. Nro. 6,053. Circ. Int. de 4. Julii a. 1826. Nro. 17,186. 6).

provisus, variolam vaccinam inserere audet *), et obstringitur omnis, qui id negotium tractare voluerit, concernenti loco id indicare, benignos normales ordines eodem in objecto editos, ad amussim observare, protocolla a se insitorum fideliter et juxta formam praescriptam conscribere, et concernenti filiali Deputationi aut Physico primario (§§. 18. 20.) periodice exhibere **). Filiales in re vaccinae Deputationes curae sibi habebunt, ut omnis Jurisdictionis plaga suo provideatur insitore, qui anno quovis in loco omni communem peragat variolae vaccinae insertionem, et poterunt praeter Medicos et Chirurgos publico munere obstrictos, quibus id negotium ceteroquin ex officii ratione incumbit, privati etiam constitui, ut salutari instituto ubique bene sit prospectum.

Ut autem insitores circa omnia, quae in tractando variolae vaccinae negotio observanda sunt, debite sint informati, praecepta, technicam rei gerendae rationem respicientia ***), et normales Resolutiones in hoc objecto editae ac deinceps

---

*) B. Decret. Aul. de 28. Octob. a. 1814. Int. de 8. Nov. ejusdem a. Nro. 29,203. Circ. Int. de 1. Aug. a. 1815. Nro. 22,027.

**) Circ. Int. de 30. Nov. a. 1813. Nro. 28,769. — Item Circ. Int. de 29. Julii a. 1817. Nro. 22,232. et de a. 1826. Nro. 17,186.

***) Praecepta technica publicata cum Circ. Int. de 13. Martii a. 1804. Nro. 5,524. Item „Praecepta instituendae vaccinationis pro medicis et chirurgis Regni Hungariae. Budae, 1812.“ cum Int. a. 1813. Nro. 16,888.

edendae, per filiales Deputationes iis communicabuntur, et injungitur Physicis ceterisque filialium Deputationum membris, ut minus versatos in hoc opere instruant, eosque in agendis suis dirigant *). Cum denique vaccinae insitio ad praecipua Physicorum et Chirurgorum, in munere publico constitutorum officia referatur (§. 18.), de jussu altissimo nemo Medicorum aut Chirurgorum ad publicum quodpiam officium promovendus est, nisi legitimo ostenderit testimonio, se in hac opera debite informatum esse, et vaccinae insitionem jam peregisse **). Ut demum Hungariae Regnum pro omni futuro tempore aptis et bene instructis insitoribus provideatur, sua Majestate clementer praecipiente, nemo imposterum sive Medicorum, sive Chirurgorum, ad rigorosa admittetur examina, aut in genere Diplomate providebitur, nisi praevie, sub inspectione alicujus, eatenus constituendi penes Facultatem medicam Reg. Scient. Universitatis Hung. Professoris, insitionem variolae vaccinae peregisse, decursum ejusdem vaccinae rite observasse, et sufficientem in hoc objecto cognitionem et habilitatem sibi omnino procuravisse, legitimo comprobet testimonio ***).

*) Vid. citat. ad §. 20.

**) B. Decr. Aul. de 10. Sept. a. 1808. Nro. 9,961. Circ. Int. de a. 1813. Nro. 28,769.

***) Int. de 30. Nov. a. 1813. Nro. 28,769. ad Magistratum Academicum Reg. Scient. Universitatis Hung. dimissum, et simul circul. publicatum.

§. 24.

Tempus et ordo, quo vaccinae insitio instituenda.

Tam quidem insons est operatio, qua vaccinae fomes inseritur, et tam lenis variolae vaccinae decursus, ut omni anni tempore infantes inseri possint; alia tamen est ratio insertionis communis apud populum suscipiendae, quam illius, quae privatim instituitur, ut haec, spectato tempore, parentum arbitrio, et insitorum judicio penitus relinquatur. Pro communi autem vaccinae insitione, apud ruricolas praecipue et plebem suscipienda, menses vernales et aestivales generatim suadentur, cum ex eo, quod eo tempore infantes sine periculo in locum idoneum congregari et circumferri possint, quodque insitoribus, de loco in locum migrantibus, minora nunc ponantur impedimenta, tum praecipue ex eo, quod insitae plebis proles his mensibus paucioribus expositae sint morbiferis causis, quae normalem variolae vaccinae decursum perturbare, operationem irritam reddere, et populi fiduciam in prophylacticum id remedium minuere quirent. Incumbit hinc filialibus Deputationibus et Jurisdictionum Physicis, imminente cujusvis anni vere, tempus et ordinem, quo communis vaccinae insitio inchoanda, continuanda et per totum Jurisdictionis ambitum absolvenda venit, determinare (§§. 18. 20.). Ut autem insitionis negotium certo tractetur ordine, nullus-

que locus in communi annua insitione praetcreatur, Jurisdictionis ambitus in tot districtus, quot necessarii videntur, dispescendus, et omni unus, aut plures etiam insitores praeficiendi erunt, qui sub Physicorum et aliorum filialis Deputationis membrorum inspectione, de loco ad locum procedendo, vaccinam apud omnes proles, quae offerentur, diligenter inserant, co suapte intellecto, quod Physici ipsi et reliqua filialis Deputationis mcmbra solertissimos omni temporc esse oporteat insitores. Curandum denique est, ut vaccinae insitio apud ruricolas dicbus Dominicis et fcstivis post Divina, et talibus praecipue suscipiatur dicbus, quibus coloni, ruralibus laboribus non avocati, domi esse sueverunt *).

§. 25.

Quae ante suscipiendam communem insitionem disponenda sint.

Ut communis annua insitio suo respondeat scopo, quantum saltem licuerit omnes, medio temporc succrescentes proles, in omni Jurisdictionis loco ea qua opus est accuratia, et sine remora inscrantur, fomes variolae vaccinac genuinus atque sufficicns, et insitores, insitiendorum

---

*) B. Decret. Aul. de 24. April. a. 1824. Nro. 6,053. Circ. Int. de 4. Julii a. 1826. Nro. 17,186. 7).

numero et localibus provinciae adjunctis respondentes requiruntur, estque necesse disponere, ut infantes vaccina inserendi tempore oportuno ad destinatum deferantur locum. Incumbunt hinc filialibus Deputationibus et Physicis hoc ex obtutu sequentia:

1) Tempore et ordine pro communi insitione in vernali filialis Deputationis Consessu determinatis, et constitutis in districtibus insitoribus, disponendum una est, ut in centrali loco plures infantes genuino vaccinae fomite inserantur, et evolutarum vaccinae pustularum decursus per Deputationis membra curatius observetur. Si modo de genuino vaccinae charactere nullum superest dubium, lympha e talibus pustulis desumta in proxima districtuum loca, de brachio in brachium inserendo (quantum id saltem licuerit), transferenda, et pari ratione ad alia districtus cujusvis loca pedetentim propaganda jubetur.

2) In constituendis districtuum insitoribus populi numerus, locorum a se invicem distantia, viarum conditio, incolarum major aut minor obsequentia, et alia localia adjuncta in censum sumenda, ut justa cuique assignetur laboris mensura, utque negotium insitionis ubique debite perfici possit.

3) Ad praecavendum omnem in conscribendis insitorum protocollis errorem ac neglectum, et promovendam communem vaccinae insitionem,

constitutis insitoribus tabellae praescriptae et typis expressae *) requisito numero suppeditandae sunt, et incumbit filiali Deputationi, tempestive providere, ut sufficiens earum tabellarum copia praesto sit.

4) Denique requirent filiales Deputationes e consessu vernali concernentes Magistratus, ut suscipiendae annuae et communis insitionis tempus per districtus publicandum procurent; ut Magistratuales personas constituant, quae insitoribus omni tempore necessariam praestent assistentiam, et localibus Magistratibus ac Communitatum antistitibus serio injungant, ut popularem insitionem opera sua diligenter adjuvent; ut praeterea concernentes animarum curatores ac docentes provocent, ut virtute benignarum normalium Resolutionum Regiarum populum in sacra oratione, ex ambone habenda, aut secus dicenda, publica oratione de suscipienda communi insitione edoceant, et simul ad promte recipiendum vaccinae beneficium energice adhortentur. **).

§. 26.

Qua ratione in communi insitione sit procedendum.

Dum vaccinae insitio, quae hic et ibi privatim instituitur, circumstantiarum rationi, paren-

*) Circ. Int. de 4. Julii a. 1826. Nro. 17,186.

**) B. Decret. Aul. de 5. Nov. a. 1813. Nro. 13,627. Circ. Int. de 30. Nov. ejusd. a. Nro. 28,769. et pluribus aliis.

tum voluntati et insitorum judicio accommodanda relinquitur (§. 24.), annua et communis, apud populum peragenda insertio, certas deposcit regulas, ut fini suo respondeat: omnis quippe singulorum locorum medio tempore nata soboles rite insitiatur.

Cum tutissimum sit, lympham variolae vaccinae liquidam de prole in prolem inserere, unus aut alter infans, quantum saltem licuerit, ad locum proximum, ubi genuina vaccina, ad debitum gradum evoluta, praesto est, adducendus et inserendus erit. Fomite ea ratione translato, in Civitatis quadrante, inque oppidi aut pagi Communitate disponendum, ut proles juxta platearum et domorum seriem in domo scholari aut Communitatis, vel alio idoneo loco, certa die et hora congregentur, et juxta ordinem, quantum fomes suffecerit, inserantur. Antequam autem insitor ad operationem processerit, singulam prolem sollicite pervestigabit, an morbo quodam non laboret, qui insitionem vetet, et inscribet protocollo omnem inserendum infantem; tractabit proles modo blandissimo; inseret lympham majore cum cautela, ut omnem doloriferam evitet laesionem, et alliciet parentes humana et mansueta agendi ratione.

Octiduo a priore insitione inserti infantes eodem loco, causa revisionis et desumendae vaccinae lympha, rursus congregantur, et continuatur insitio eousque, donec omnes ejusdem Commu-

nitatis proles insitae fuerint, fomite dicto modo ad omnia Jurisdictionis loca, definito per filialem Deputationem ordine, translato, et tractabit quivis constitutus insitor sua negotia in districtu suo ita, ut communis insitio usque autumnum per universum Jurisdictionis ambitum praescripta lege terminetur.

Oportet autem communem hanc variolae vaccinae insitionem tanquam actum publicum et ea cum auctoritate tractare, ut populus pronus reddatur ad recipiendam variolam tutoriam. Intererunt hunc in finem insitioni personae magistratuales, animarum curatores et primores locorum, et poterunt Dominia aliique distinctioris characteris viri praesentia sua conferre plurimum, ut major apud plebem excitetur erga salutare remedium fiducia, omneque id negotium quam optime procedat *).

§. 27.

Insertorum revisio.

Exigit securitas publica, ut factarum insitionum effectus, et variolae vaccinae decursus ejusque character ubique constet ac fideliter adnotetur, quo insertio, ita ferente necessitate repeti, et casus dubii (§. 13. 1.) suo tempore ad eviden-

*) Circ. Int. de 13. Martii a. 1804. Nro. 5,524. de 30. Nov. a. 1813. Nro. 28,769. et de 4. Julii a. 1826. Nro. 17,186.

tiam illustrari possint. Injungitur hinc insitoribus sub graviore responsionis onere, ut omnes omnino a se insertos infantes statuto tempore revideant, pustularum evolutarum characterem et omnia phaenomena, quae sub vaccinae decursu advertuntur, habito imprimis respectu febrilis reactionis, quae certis diebus magis aut minus sese manifestat, curatius examinent, et observata insitorum protocollis fideliter inscribant. Apud infantes, qui scopo propagandi vaccinae fomitis pro communi annua insitione sub filialis Deputationis inspectione inseruntur (§. 25. 1.), curatior revisio omni altera die, usque dum crusta siccata fuerit, instituenda. In civitatibus et aliis locis, ubi insitor continuo adest, insitae proles 4. 7. et 14., aut pro re nata frequentius etiam, revideri poterunt. Ruri vero 7. et 14. die, ubi insitores causa continuandae et ultra propagandae insitionis ad locum eundem ceteroquin redeunt, eadem revisio instituenda jubetur.

Cum autem insitorum infantum revisio inter praecipua hujus instituti munera referatur, ut adeo omnis ejus neglectus irritum reddat salutare negotium, et graviores post se trahere possit sequelas; eadem revisio sub inspectione personarum, communi insitioni intervenientium (§. 26.), suscipienda, et protocolli subscriptione confirmanda jubetur, prout Physico primario et reliquis filia-

lis Deputationis membris incumbit (§. 20.), huic operae solerter invigilare *).

§. 28.

Protocolla insitorum.

Siquidem variolae vaccinae institutum summa cum accuratia et pari ordine tractari debcat, ut cetera tractantur negotia publica, quibusvis medicis et chirurgis, privatis pariter ac in publico munere constitutis, de altissima mente serio et sub graviore responsionis onere injungitur, ut omne plane a se inscrtum individuum, cujuscunque sit conditionis ac aetatis, protocollo diligenter inscribant, et conscripta insitorum haec protocolla debito tempore concernentibus locis cxhibeant. Ut autem protocolla hacc (tabellares rclationes) dcstinato fini penitus respondeant, eadem aequali ubique, et altiore loco praescripta forma exaranda jubentur, ncc unquam licet insitoribus,

---

*) Circ. Int. de 13. Martii a. 1804. Nro. 5,524. item de 21. Sept. a 1819. Nro. 26,540. et de 4. Julii a. 1826. Nro. 17,186.

Solertissima ac fidelis adnotatio, quis nam effectus in singulis vaccina insertis individuis observatus fuerit, de positivo Suae Majestatis jussu ben. Decreto Aul. de 19. Dec. a. 1828. Nro. $\frac{17105}{2965}$, rursus injungitur, et circ. Int. de 13. Jan. 1829. Nro. 1222. praecipitur.

a tabella sub A adnexa quacunque ratione recedere *).

Protocolla haec, quatenus annuam et communem insitionem (§§. 24. 26.) respiciunt, per magistratuales personas, animarum curatores, vel saltem per locorum primores subscribenda sunt ea ratione, ut subscribentes recognoscant: „*insitiones in locis designatis cum exposito effectu rite peractas, et insertos statuto tempore ac debite revisos, atque eos, qui inter egenos contribuentes relati sunt, vere tales esse.*" His insitoris nomen et character subjunguntur. Insitionum privatim susceptarum protocolla pari quidem forma conscribenda jubentur; sufficiet tamen in his insitorum, de habilitate et integra fide notorum, subscriptio.

Injungitur porro quibusvis Medicis et Chirurgis, vaccinam ubicunque locorum insitientibus, ut protocolla peractarum insitionum, nullo plane individuo exmisso, solerter ducant, rubricas, in tabella praescripta contentas, rite expleant, et debite adornata haec protocolla sub autumni decursu cujusvis anni Physico Jurisdictionis primario aut filiali Deputationi eo certius exhibeant, quo secus de

---

*) B. Decret. Aul. de 5. Nov. a. 1813. Nro. 13,627. Circ. Int. de 30. Nov. ejusdem a. Nro. 28,769. Tabellae huic Intimato adnexae magis complicatae fuere; alia vero relationis tabellaris forma, huic conspectui adnexa, Circ. Int. de 4. Julii a. 1826. Nro. 17,186. de altissimo jussu praescripta habetur.

altissimo jussu Regio publica auctoritate stringendi, et graviori responsionis oneri subjiciendi forent *). Cum autem observatum hactenus fuerit, multos esse privatos insitores, in majoribus praesertim Civitatibus, qui insitionum a se factarum vel nulla ducant requisita protocolla, vel ea saltem gremiali Physico exhibere negligant, ut adeo certus singulo anno insertorum numerus in ejusmodi Urbibus constare non possit, nec effectus privatarum talium insitionum probetur; de positivo Jussu Regio quibusvis Regni Jurisdictionibus injungitur, ut privatos insitores ad rite conscribenda et exhibenda insitionum suarum protocolla stringant, inque eos, qui hoc in officii genere socordes, aut renitentes plane fuerint, pro delicti ratione gravius animadvertant **).

Eidem legi militares quoque Medici et Chirurgi, variolam vaccinam inter civiles homines insitientes, obstringuntur. Tenentur hinc ordinibus,

---

*) Circ. Int. de 30. Nov. a. 1813. Nro. 28,769. binis singulo anno vicibus, mense Aprili et Oct. relationes exhibendae, et Cons. Reg. Locumt. H. substernendae jubebantur. Cum autem semestri primo, autumnalibus quippe et hyemalibus mensibus, pauciores proles inseri soleant, pro laboris compendio a. 1826. Circ. Intimato sub Nro. 17,186. jussum, ut de universo negotio per totum annum gesto, semel nonnisi, et quidem sub anni finem, relationes praestentur.

**) B. Decret. Aul. de 19. Dec. 1828. Nro. $\frac{17105}{2963}$. Circ. Int. de 13. Jan. 1829. Nro. 1,222.

per competentia fora eatenus sibi datis, ubique respondere *), a se insitorum infantum protocolla, quantum statum civilem respiciunt, Jurisdictionis Physico exhibere, et incumbit magistratibus, eos in casum renitentiae per concernentem militarem Jurisdictionem ad explendum id mandatum stringere **).

§. 29.

Insitorum protocolla revidenda, concernenti Magistratui exhibenda, et Consilio Regio Locumtenentiali submittenda jubentur.

Incumbit filialis Deputationis, rem vaccinae procurantis Praesidi, et ordinario Physico, quaevis Deputationis membra, omnes constitutos insitores et alios Medicos ac Chirurgos, vaccinae insitionem privatim tractantes, sub autumni progressu ad exhibenda insitorum protocolla provocare, ut in autumnali sessione revideri omnia possint (§. 20. 5). Advertet autem Deputatio: an protocolla eadem praescriptae formae penitus respondeant? an rubricae omnes debite sint expletea? an denique requisitae in omnibus adsint recognoscentium sub-

---

*) B. Decret. Aul. de 15. April. a. 1817. Nro. 10,543. Suprema armorum C. R. per Regnum Hungariae Praefectura 10. Maj. ejusdem a. Nro. 5,803. ordines eatenus militaribus insitoribus praescripsit.

**) Circ. Int. de 30. Nov. a. 1813. Nro. 28,769. et de 29. Julii a. 1817. Nro. 22,232.

scriptiones? et providebit eadem Deputatio, ut quocunque respectu defectuosa protocolla tempestive corrigantur, sibique rursus exhibeantur (§. 20. 9)). Debite adornata, et in unum collecta omnium per totius anni decursum in universo Jurisdictionis ambitu insitorum protocolla, filialis Deputatio summum usque mensem Decembrem cujusvis anni concernenti praesentabit Magistratui, et addet distinctae suae relationi, quam de rei vaccinae progressu, deque insitorum majore vel minore diligentia, et de variolis humanis, medio tempore forte observatis, praestandam habet, suas etiam peculiares, si quae eidem occurrant, animadversiones *).

Praesentata sibi haec insitorum protocolla Magistratus distincta remonstratione, cum aliis in re sanitatis praestandis relationibus nunquam confundenda **), Consilio Regio Locumtenentiali Hung. usque finem Januarii cujusvis anni certius submittent, et remonstrabunt una, si quidpiam proponendum vel expetendum censuerint, sua in hoc objecto desideria. Cum annuis autem relationibus, quas Jurisdictionum Physici super objectis in re sanitatis praestandas habent ***), generalis tantum

---

*) B. Decret. Aul. de 9. Junii a. 1826. Nro. 6,575. Circ. Intim. ejusdem a. Nro. 17,186.

**) Circ. Int. a. 1813. Nro. 28,769.

***) Circ. Int. de 1. Aug. a. 1815. Nro. 22,027. et de a. 1826. Nro. 19,847. item de 9. Oct. a 1827. Nro. 26,401.

rei vaccinae, praeterlapso anno in Jurisdictionis ambitu gestae, exhibendus est conspectus. Designandus itaque prolium, a singulo insitore medio tempore insertorum numerus, et comparanda proxime elapso anno omnium vaccina insitorum summa cum numero eorum, qui priore anno inserti fuere.

Cum denique ille sit salutaris hujus Instituti scopus, ut variolosus morbus, quantum saltem licuerit, ubique praecaveatur, suaque Majestas Sacratissima eatenus pro paterna sua sollicitudine informari de tempore in tempus desideret; benigne jubetur, ut Jurisdictionum Physici quovis anno consignationem genuinam individuorum, variolas humanas medio tempore perpessorum, exhibeant, altissimo loco substernendam *). Haec autem consignatio ita est adornanda, ut una appareat: an, et quot individua variolis naturalibus corepta fuerint, prius vaccina insita? qualis in talibus fuerit vaccinae character? quanto tempore ante morbi variolosi eruptionem vaccinae insertio fuerit instituta? et quot ex iis, prius fors vaccinae materia insitis, et aliis nunquam insertis, mortem obierint?

---

*) B. Decret. Aul. de 19. Dec. a. 1828. Nro. $\frac{17105}{2963}$. Circ. Intim. de 9. Jan. a. 1829. Nro. 1,222.

§. 30.

Conspectus summarius insitorum altissimo loco substernendus.

Ut denique salutaris vaccinae instituti in Regno universo inque singula Jurisdictione progressus Suae Majestati Sacratissimae omni tempore constet, summarius conspectus ejus negotii singulo anno gesti, per Consilii Regii Locumtenentialis Hungarici Exactoratus officium juxta principia altius definita elaborandus, et in comitiva relationis Regni Protomedici, subjunctoque dirigentis Dicasterii Regii voto, alte fatae Suae Majestati evoluto quovis anno solari, adnexa etiam consignatione individuorum, variolas vaccinas medio tempore in quavis Regni Jurisdictione perpessorum (§. 29.), substernendus benigne jubetur *). Iste autem conspectus relationem super vaccinae negotio cujusvis Jurisdictionis specialem, in tabellam redactam complectitur, ut uno obtutu pateat: quotnam proles in quavis Jurisdictione, inque Regno universo ac per insitorem singulum, qualive cum effectu medio tempore insitae fuerint, quotque inter insertos numerentur pauperum hominum,

*) Ben. Decr. Aul. de 26. Junii. a. 1818. Nro. 7,030. Nrus. Cons. 20,528. Ben. Decr. Aul. de 24. April. a. 1824. Nro. 6,053. Nrus. Cons. 15,521. item Ben. Dec. Aul. de 9. Junii. a. 1826. Nro. 6,578. Nrus. Cons. 17,186. et B. Decr. Aul. de 25. Maji. a. 1827. Nro. 6,399. Nrus. Cons. 20,104. B. Decr. Aul. de 19. Dec. a. 1828. Nro. $\frac{17105}{2963}$. Circ. Int. de 13. Jan. a. 1829. Nro. 1222.

erga sostrum benigne concessum insiti infantes; ut porro appareat quarumvis Jurisdictionum, filialium Deputationum, Physicorum et Chirurgorum major aut minor in vaccinae insitione inque conscribendis et submittendis insitorum protocollis et praestandis in eodem negotio relationibus zelus et assiduitas; ut videre sit, an institutum, generi humano tam proficuum, ea ubique capiat incrementa, quae paternae Suae Majestatis sollicitudini omnino respondeant; ut denique iis, qui de promto salutari vaccinae negotio majorem in modum meruerunt, admensurata remuneratio clementer attribui, in eos vero, qui de morositate, neglectu aut renitentia plane notantur, pro delicti ratione animadverti possit. Praemio autem digni ii duntaxat censentur, qui majorem prolium numerum inde a primo in usum vocatae variolae vaccinae tempore gratuito, et sine omni sostro inseruerint; qui eidem rei operam solertem haud interrupta serie usque praesens tempus pari cum zelo impenderint; qui protocolla insitorum debite adornata constanter exhibuerint, et fide dignis testimoniis comprobaverint, factas a se insertiones optatum habuisse effectum; qui scriptis popularibus, aliave ratione plebem ad recipiendum variolae beneficium persuadere noverint; qui denique genuinum vaccinae fomitem longiore annorum serie conservaverint, inque majus rei emolumentum per Regni Jurisdictiones distribuerint.

Caput III.

De adminiculis variolae vaccinae institutum promoventibus.

§. 31.

Duplex horum adminiculorum ordo.

Ut salutare variolae vaccinae institutum, per Regnum Hungariae et partes eidem adnexas ordinatum (§. 14.—30.), scopum suum eo certius attingat, Sua Majestas Sacratissima impedimenta quaevis, rei vaccinae progressum remorantia, tollenda *), et adminicula talia, quae insitionis negotium quam optime promovere valeant, ordinanda et adhibenda clementer jubere dignabatur. Est autem adminiculorum istorum duplex ordo: unus refertur ad personas medicinales, vaccinae insitionem tractantes, et alter complectitur remedia, quibus populus ad alacrius recipiendam variolam vaccinam provocetur et invitetur.

*) Ben. Decr. Aul. de 6. Junii. a. 1815. Nro. 8,130. Circ. Int. de 27. Junii. ejusdem a. Nro. 18,687

§. 32.

Vecturae necessariae insitoribus praestandae.

Ad praecavendam in administrando vaccinae negotio remoram, Jurisdictionibus Regni intimatur, Medicis et Chirurgis, causa procurandi vaccinae negotii proficiscentibus, vecturam gratuitam esse praestandam *). Id autem vecturarum (praejuncturarum) beneficium unice ad casus necessitatis et ita restringendum est, ut nullus earum fiat, plebem contribuentem adgravans abusus **). Competunt itaque vecturae gratuitae iis duntaxat insitoribus, qui per filiales Deputationes, aut publica secus auctoritate pro insertionis munere constituti sunt (§§. 17. 20. 21. 23.); nec his secus talibus uti licet vecturis, quam tunc, ubi in communi annua insitione aut insitorum revisione constituuntur (§§. 26. 27.), vel vero causa conservandi fomitis proficiscuntur, et vectura ob majorem inserendorum aut revidendorum distantiam, vel ob tempestatis injuriam necessaria omnino fuerit. Quemadmodum Magistratibus de benigna resolutione Regia incumbit, de his vecturis ita prospi-

---

*) Circ. Int. de 1. Aug. a. 1815. Nro. 22,027. Ben. Decr. Aul. de 24. April. a. 1824. Nro. 6,053. et de 9. Junii. a. 1826. Nro. 6,578. Circ. Int. de 4. Julii a. 1826. Nro. 17,186. 10).

**) B. Decr. Aul. de 26. Maji a. 1827. Nro. 6,399. Nrus. Cons. 20,104. ejusd. a.

cere, ut vaccinae negotium omni tempore rite tractari queat, ita simul iis injungitur, ut in praestandis aut compensandis ejusmodi vecturis majorem juxta praescriptos in similibus normales ordines observent parsimoniam.

§. 33.

Sostrum insitoribus concessum.

Siquidem parte ex una a Medicis et Chirurgis, in publico munere constitutis, penes moderata, quibus fruuntur stipendia, exigi vix possit, ut prolium insitionem earumque revisionem sine omni remuneratione perficiant, et onus hoc velut propriis suis impensis ferant; altera vero ex parte praevidere sit, plebem eo minus ad recipiendum vaccinae beneficium pronam futuram, si pro insitionis opera mercedem quamdam dependere debuerit: Consilium Regium Locumtenentiale fine promovendi vaccinae instituti admittit, ut pauperiorum parentum (et in specie omnium colonorum) proles per universum Regnum gratuito inserantur, insitoribus vero pro singula tali insitione 15 xr. val. (6 xr. mon. conv.) e Jurisdictionis aerario (cassa domestica vel cameratica) in vicem sostri dependantur. Casum autem in eum, si personae medicinales, stipendio publico provisae, insitiendis omnibus individuis sufficere non possent, alii etiam Medici aut Chirurgi pro communi annua in-

sitione erga prius dictam remunerationem conducendi erunt. Pro insitionibus vero, in opulentiorum domibus peragendis, remuneratio parentum aut curatorum generositati relinquitur *), eo de positivo jussu Regio addito, quod insitoribus liberum quidem sit, ab incolis melius valentibus oblatam sibi remunerationem acceptare, minime tamen iis indulgeatur, pro insitionis opera aliquid exigere **).

Concessum insitoribus anno 1815. sostrum Sua Majestas Sacratissima benigne admittere ultra dignabatur, ea tamen ratione, ut 15 xr. val. (6 xr. mon. conv.) pro singula *egenorum* duntaxat contribuentium insita prole, e publico Jurisdictionum aerario dependantur; ampliores autem gratificationes pro eadem opera Medici et Chirurgi in futurum ab opulentioribus Regni incolis, oblatas saltem, acceptare, sed nullo in casu exigere poterunt ac audebunt ***).

Ut autem constet, quot et quinam infantes e classe egenorum hominum, pro quibus virtute benignae resolutionis 15 xr. val. sostrum e publico Jurisdictionum aerario pendendum est, variola vac-

---

*) Circ. Int. de 1. Aug. a. 1815. Nro. 22,027.

**) B. Decr. Aul. de 16. Maji et de 21. Junii a. 1816. Nro. 6,002. et 7,985. Circ. Int. de 16. Julii ejusd. a. Nro. 20,839. et de 10. Junii a. 1817. Nro. 16,899.

***) B. Decr. Aul. de 3. Nov. a. 1820. Circ. Int. de 28. Nov. ejusd. a. Nro. 28,950.

cina insiti fuerunt, tales in distinctam protocolli rubricam inserendi jubentur, ac una praecipitur, ut legitimo testimonio comprobetur, ejusmodi infantes cum optato effectu insitos, rite revisos, et vere pauperum hominum esse (§. 28.). Antequam autem insitorum protocolla per filialem Deputationem revisa, debite subscripta et ratihabita fuerint, remuneratio pro insitis egenorum contribuentium prolibus obveniens, insitoribus assignari non poterit *). Denique ordinatur, ut Magistratus publici cum annua in vaccinae negotio Consilio Regio Locumtenentiali praestanda relatione speciatim referant, quantamne summam insitori singulo sostri titulo exsolvendam disposuerint **).

§. 34.

Benemeritis de vaccinae instituto praemia tribuuntur.

Qui de promoto salutari vaccinae instituto bene meriti fuerint insitores, ut adeo constet, majorem infantum numerum per eos optato cum effectu, apud classem hominum egenorum praecipue,

*) Ben. Decr. Aul. de 9. Junii a. 1826. Nro. 6,578. Circ. Int. de 4. Julii a. ejusd. Nro. 17,186.

**) Ben. Decr. Aul. de 25. Maji a. 1827. Nro. 6,399. Nrus. Cons. 20,104. Ben. Decr. Aul. de 24. Aug. a. 1827. Nro. 11,059. Circ. Int. de 9. Oct. a. ejusd. Nro. 26,401. 3).

et gratuito insertos fuisse; qui in conscribendis et submittendis insitorum protocollis majorem una quovis tempore exhibuerint diligentiam; qui in continuo conservando genuino et recenti vaccinae fomite per longiorem annorum seriem se distinxerint, eumque aliis insitoribus promte suppeditaverint, et per plures Regni partes distribuerint; qui conatu indesinente et nunquam remisso zelo id negotium tractaverint; qui populares ad recipiendam variolam tutoriam optimo et efficaciore modo adducere noverint, quive in genere ad promovendum in Regno vaccinae institutum plurimum contulerint: Sua Majestate benigne annuente occasione conferendorum munerum publicorum ac promotionum, in sua sphaera occurrentium, ceteris paribus aliis praeferendi, et majorem in modum meriti pro consequendo etiam singulari praemio (§§. 19. 20. 50.) Consilio Regio Locumtenentiali proponendi jubentur *).

---

*) B. Manual. Suae Majestatis C. R., ad Ex. C. R. unit. A. B. Cancell. a. 1803. datae, et cum b. Decr. Aul. de 31. Aug. a. 1804. Nro. 8,599. submissae. Nro. Cons. 20,829. Item b. Dec. Aul. de 7. Maji a. 1813. Circ. Int. de 30. Nov. a. ejusd. Nro. 28,769. B. Decr. Aul. de 12. Martii et 22. Aug. a. 1817. Nro. 3,252. et 10,718. Int. de 31. Martii et 9. Septemb. ejusd. a. N. 8,842. et 26,439. Circ. Int. de 18. Maji a. 1818. Nro. 10,948. Ben. Decr. Aul. de 21. April. a. 1821. Nro 6,053. et de 9. Junii a. 1826. Nro. 6,578. Circ. Int. de 4. Julii ejusd. a. Nro. 17,186. Ben. Decr. Aul. de 25. Maji a. 1827. Nro. 6,399. Nrus. Cons. 20,101. ejusd. a. Ben. Decr. Aul. de 24.

§. 55.

Segnes in vaccinae negotio pro delicti ratione puniendi jubentur.

Cum variolae vaccinae negotium, spectato insitionis effectu et utilitate (§. 9—12), summi sit momenti, et omnis in eodem neglectus aut error graviores post se trahere possit, societati humanae admodum nocivas sequelas; Magistratibus publicis de altissima mente injungitur, ut huic objecto singularem impendant vigilantiam, omnemque in opera insitionis observatum neglectum, vel admissum errorem, aut renitentiam plane, pro circumstantiarum ratione, in personis eatenus delinquentibus gravius animadvertant. Puniendi autem praecipue sunt Medici et Chirurgi, in munere publico constituti, id officii genus negligentes, Physici de conservando genuino et recenti vaccinae fomite (§. 18. §. 20. 5.) minus solliciti, et omnes in genere insitores, qui vaccinae insertionem obiter tantum perfecerint; qui insitos statuto tempore revidere, et protocollis curatius inscribere intermiserint, suaque insitorum protocolla justo

---

Aug. a. ejusd. Nro 11,059. Circ. Int. de 9. Oct. Nro. 26,401. 1) 2) 7).

Dignabatur Sua Majestas Sacratissima ob merita in re vaccinae posita alios altissimo nomine collaudandos jubere, alios numismate aureo civili, aut alio honore clementer decorare, et obtinuerunt alii, id meritum praecipue allegantes, Regni Hungariae nobilitatem.

tempore concernenti loco non exhibuerint; qui depravatam vel aliis contagiis inquinatam vaccinae materiem propagaverint; qui erumptentes alicubi variolas humanas adverterint, quin id illico competenti loco insinuent, hacque ratione ultra propagati morbi variolosi reos se effecerint. Gravissime denique puniendi sunt ii, qui salutaris vaccinae instituti progressum quoquomodo impedierint, aut hominum in beneficum id remedium fiduciam minuere attentaverint *).

§. 36.

Remedia apud populum adhibenda.

Tam manifesta est vaccinae insitionis utilitas (§. 10.), ut vel ipsa minus edocta plebs de salutari ejus effectu persuaderi facile possit, nec opus sit, populum coactione ad recipiendum id remedium stringere **). Ut autem populus sobolem suam insitioni promto ubique subjiciat animo, et renitentes quoque alliciantur, remedia talia adhibenda jubentur, quibus regni incolae quam maxime invitentur; praescribuntur vero hoc scopo sequentia:

*) Vid. ad §. 34. Citat. b. resolutiones et Circ. Intimata.

**) Ben. Decr. Aul. de 25. Maji a. 1827. Nro. 6,399. Nrus. Cons. 20,104. ejusd. a. Ben. Decr. Aul. de 24. Aug. ejusd. a. Nro. 11,059. Circ. Int. de 9. Oct. ejusd. a. Nro. 26,401. 1).

a) Exigit tantum naturae beneficium, ut sine omni lucri privati cupidine quibusvis petentibus grato animo suppeditetur. Eo autem fine pauperum hominum proles gratuito et erga sostrum, ex aerario publico pendendum, inseruntur; nec licet insitoribus unquam, apud opulentiores pro eadem opera aliquam exigere mercedem, sponte tamen oblatam acceptare (§. 33.) audent.

b) Alliciendi populares ea ratione, ut insitionis opera nulla iis pariat majora incommoda, utque infantes suos lubentiore offerant animo. Causa prioris insitio communis tali tempore suscipienda jubetur, ubi coloni aliique plebei homines ruralibus et aliis laboribus minus detinentur (§. 24.). Scopo alio injungitur insitoribus, ut parentes humana agendi ratione, blandiore inserendarum prolium tractatione et cautissima insertione (§. 26.) alliciant.

c) Firmatur hominum confidentia, et provocatur populus magis ad recipiendum id remedium, si insitionis negotium ita tractatum fuerit, ut optatum constanter habeat effectum. Ex eo sollicite curandum: ut genuinus et efficax fomes constanter praesto sit (§§. 19—21. 25.); ut inserti statuto tempore debite revideantur (§. 27.), et insitorum protocolla rite ducantur (§. 28.); ut infantes sine optato fructu inserti repetitis vicibus insitiantur, et sollicite evitetur, ne ulla proles, manifesto quodam morbo affecta, inseratur (§. 36.).

d) Plurimum denique conferet ad promovendum in universo Regno vaccinae institutum, si populus verbo et scriptis popularibus de insonte variolae vaccinae indole, de summa ejus utilitate, de gravibus ex ejus neglectu promanantibus sequelis, deque suo erga liberos suos eatenus officio edoctus, et aliis congruis remediis provocatus fuerit.

§. 57.

Praejudicia plebis dissipanda et persuadendus populus ad recipiendam variolam tutoriam.

Vigent hic et ibi certa apud homines diversae classis praejudicia (§. 13.), vaccinae instituti progressum multum saepe remorantia; alii liberos suos insonti operationi subjicere metuunt; alii remedium salutare ex ignorantia, et alii ex damnosa socordia suaeque sobolis incuria negligunt. Injungitur hinc de altissimo jussu Medicis et Chirurgis, magistris et docentibus, filialium Deputationum membris, personis magistratualibus, Dominiis et quibusvis majoris cultus et honore conspicuis viris: ut omni opportuno tempore praejudicia talia dissipare, plebem de meliore edocere, inanem metum tollere, socordes et incurios incitare satagant, bono exemplo et adhortationibus renitentes ad recipiendum salutare remedium adducere studeant. Juvabit praeterea maxime,

tristes mortis et mutilationis casus, neglecta insitione ex variolis humanis ortos, pro exemplo adferre *).

§. 38.

Quae animarum curatoribus eatenus incumbant.

Cum sacri Curiones ad promovendum salutare vaccinae institutum conferre plurimum possint, Sua Majestate benigne jubente, animarum curatoribus per concernentes Archipraesules, Episcopos et Superintendentias injunctum habetur, ut insitionis negotium apud fideles, curae suae creditos, opera sua solerter adjuvent, et majore cum zelo omni tempore provehere adnitantur **). Incumbit autem Parochis et quibusvis animarum curatoribus: neonatarum prolium conscriptionem (§. 22.), e matricula baptisatorum extractam, quovis semestri concernenti civili Jurisdictioni exhibere ***), vel saltem occasione communis, in lo-

*) Circ. Int. de 13. Martii a. 1804. Nro. 5,521. Ben. Decr. Aul. de 31. Aug. ejusdem a. Nro. 8,599. Nrus. Cons. 20,829. B. Decr. Aul. de 5. Nov. a. 1813. Nro. 13,627. Circ. Int. de 30. Nov. ejusdem a. Nro. 28,769. B. Decr. Aul. de 2. Sept. a. 1814. Nro. 11,690. Nrus Cons. 24,875. Circ. Int. de 4. Julii a. 1826. Nro. 17,186.

**) Circ. Int. de 13. Martii a. 1804. Nro. 5,524. item de 30. Nov. a. 1813. Nro. 28,769. Ben. Decr. Aul. de 2. Sept. a. 1814. Nro. 11,690. Int. eodem a. die 20. Sept. Gömöriensi Comitatui Nro. 24,875. et Circ. Int. de 4. Julii a. 1806. Nro. 17,186.

***) Ben. Decr. Aul. de 16. Maj. a. 1816. Nro. 6,002. Circ. Int. de 10. Junii a. 1817. Nro. 16,899. et de 15. Febr. a. 1820. Nro. 3,956.

cis suis peragendae insitionis, insitoribus communicare *); populum de insonte variolae vaccinae natura et summa ejus utilitate edocere; fideles suos in publicis concionibus, ex sacro ambone dicendis, et quavis alia congrua opportunitate ad promte recipiendum vaccinae beneficium admonere, et parentibus christianum id erga liberos suos officium sub onere conscientiae injungere **), eosque adhortari, ut fomitis desumtionem ex insitis suis prolibus nunquam denegent ***); denique communi insitioni, quantum per circumstantias licuerit, intervenire (§. 26.), et renitentes tunc paterne admonere.

§. 59.

Scripta popularia per Regnum distributa.

Ut populus ad promte recipiendum variolae vaccinae beneficium incitetur, de insonte ejus natura et summa illius utilitate edoceatur ac convincatur, Sua Majestas Sacratisima benigne jubere di-

*) B. Decr. Aul. de 24. April a. 1824. Nro. 6,053. Circ. Int. de 4. Julii a. 1826. Nro. 17,186. 6).

**) B. Decr. Aul. de 2. Junii a. 1815. Nro. 7,262. Circ. Int. de 13. Junii ejusd. a. Nro. 17,141.

***) B. Decr. Aul. de 16. Maji a. 1816. Nro. 6,002. Circ. Int. de 10. Junii a. 1817. Nro. 16,899. Ben. Decr. Aul. de 25. Maii a. 1827. Nro. 6,399. Nrus. Cons. 20,101. ejusd. a. Confer. §. 48. Ben. Decr. Aul. de 24. Aug. ejusd. a. Nro. 11,059. Circ. Int. de 9. Oct. ejusd. a. Nro. 26,401.

gnabatur: ut *Libellus adhortatorius*, ad parentes directus, per animarum curatores inter populum distribuatur, ut adhortatio eadem popularibus saepius, praecipue autem sub Sacramenti baptismatis administratione *), in mentem revocetur **), et scripta popularia, variolae tutoriae naturam, insitionis modum, decursum et effectum perstringentia, et adversariorum asserta refellentia, in linguas vernaculas vertantur, aerarii publici sumtibus typis imprimantur, et gratuito inter Regni incolas distribuantur ***).

Libello adhortatorio anno 1813 divulgato ****), et compluribus, de variola vaccina tractantibus opusculis inter populares Regni distributis *****),

---

*) Apud Judaeos eam concernentes Magistratus faciendam habent dispositionem, ut partus et circumcisionis occasione admoneantur. Circ. Int. de 30. Nov. a. 1813. Nro. 28,769.

**) Scriptum adhortatorium, in C. R. austriacis provinciis publicatum, cum ben. Decr. Aul. de 31. Aug. 1804. Nro. 8,599. submissum. Nrus. Cons. 20,829. ejusd. a.

***) B. Decr. Aul. de 26. Januarii a. 1816. Nro. 1,245. Nrus. Cons. 3,845. ejusd. a.

****) Adhortatio ad Parentes Circ. Int. de 30. Nov. a. 1813. Nro. 28,769. adnexa.

*****) Opuscula popularia de variola vaccina Regni Jurisdictionibus partim commendata, partim submissa fuere. Vid. Circ. Int. de a. 1813. Nro. 28,769. A. 1800. de 25. Nov. Nro. 28,108. libell. Doct. *Franc. Bene.* „*Rövid oktatás a' mentő himlőnek eredetéről és beoltatásáról.*" Jurisd. commendatus. Idem opusculum novis curis patrio sermone pro usu populari elaboratum, inque ger-

Scheda adhortatoria, ad formam huic conspectui sub B. adnexam exarata, occasione omnis sacri baptismatis administrationis per animarum curatores, praemissa spirituali admonitione, parentibus vel adstantibus tradenda jubetur. Hanc autem schedam concernentes parentes vel curatores conservandam habebunt, suo tempore, ubi insitus infans genuinam exhibuerit variolam vaccinam, per insitorem testimonii instar signandam.

Quae opusculis popularibus de variolae vaccinae natura, de innocua ejus insitione et leni decursu, deque tutoria contra variolas humanas virtute, per diuturnam experientiam et innumeras observationes confirmata, et de salutari ejus effectu docentur, Medici et Chirurgi, animarum curatores et aliae cultus majoris personae populo omni opportuno tempore et loco uberius explananda, et ad captum popularium hominum explicanda habebunt, ut salubre institutum ubique optatum faciat progressum.

---

manicum, latinum, slavo-serbicum, valachicum, slavicum versum, per Regni Jurisdictiones fine distributionis missus (d. 3. Dec. a. 1816. Nro 35,054. d. 24. Junii a. 1817. Nro. 18,711. d. 18. Maji a. 1818. Nro. 13,948. et de 26. Jan. a. 1819. Nro. 2,304.) Anno 1818. de 7. April. Nro. 9,650. simile opusculum *Josephi Szathmári* M. D. Miskólcziensis „*A' Tehén himlő óltásról való rövid értekezés* etc." et de 26. Jan. a. 1819. Nro. 2,304. idem, in latinum et slavo-serbicum sermonem traductum, eundem in finem cunctis Regni Jurisdictionibus submissum.

§. 40.

Summa eorum, quae popularibus frequentius promulganda.

Continent scripta popularia, per Regnum universum divulgata (§. 38.) et ben. normales, in vaccinae negotio hactenus editae Resolutiones argumenta quaevis, popularibus, quoties opportunum et necessarium fuerit, promulganda, ut ad recipiendum vaccinae beneficium permoveantur, et incitentur; summa autem illorum, quae popularibus opportunis temporibus promulganda sunt, sequentibus continetur.

Variolae humanae dirissimum constituunt morbum, qui seculis multis per orbem universum hactenus grassabatur, et pestis instar multa hominum millia singulis fere annis arripuit, quin imo integros plane provincias depopulabatur, et multos alios visu, auditu ac recto artuum usu spoliavit, aliisque modis ad tristissimum conjecit vitae statum.

Idem morbus saevissimus, qui nullo prius praecaveri ac domari potuit remedio, quive tanquam humani generis flagellum parentum lacrymas ciebat, et nulli pepercit aetati aut nationi, qui charissimam patriae sobolem pro majori societatis damno praematuro oppressit tumulo, et magnam civium partem mutilam, morbidam ac inertem reddidit, qui velut malum ingenitum jam et semper dura-

turum perpetuo nos tenebat metu, et gravissima nobis intulit vulnera; idem inquam atrox humani generis hostis *variola vaccina*, eventu feliciore detecta, certius praecavetur, eque seric humanarum calamitatum deletur.

Provocatur autem tutoria variola lymphac guttula, lenissima punctione, omni dolore experte, sub cuticulam missa, estque ejus decursus, seu localis spectetur affectio, seu universi corporis respiciatur irritatio, tam lenis generatim, ut vix unquam sit molestus, aut morbosis se manifestet apparitionibus, et caret variolae vaccinac insitio omni plane periculo.

Constat certa et diuturna experientia, estque innumeris jam in diversis orbis partibus captis observationibus confirmatum, variolam vaccinam genuinam, debite evolutam, inque decursu suo haud perturbatam, hominem per omnem vitam suam tutum reddere adversus variolarum communium morbum. Quemadmodum enim rarum admodum est, ut homo idem pluribus vicibus humanis impetatur variolis, ita inter plura variola vaccina insitorum millia vix semel contingit, ut tutoria variola rite defunctus variolis communibus vere talibus (§. 13. 1.) afficiatur.

Dum per variolae vaccinae insitionem corporis dispositio ad recipiendum variolarum humanarum contagium tollitur, morbus, indole sua gravissimus et horribilis, multoties lethalis, vel sal-

tem gravissimas post se trahens sequclas, praecavetur, et organismi conservatur firmitas, per morbum variolosum frequentius adeo labefactanda, ut corpus mutilum aut tabidum reddatur, nulloque amplius tempore integritati restitui valeat.

Praejudiciosum est credere, variolas communes, ante seculum decimum vix visas, perque causarum inimicarum confluxum eo tempore primum productas, humano generi ingenitas, nulloque remedio tollendas esse; per morbum eundem malignorum humorum copiam e corpore eliminari, quae sine noxa non possit retineri, hocque modo contingere, ut variola vaccina causam praebeat diversis malis, morbis infantilibus majorem addat vim, et malignos reddat.

Congenitas humano generi minime esse variolas communes, satis patet, cum historice constet, eas prioribus temporibus nusquam viguisse, et eliminari eundem morbum impune posse, hodierna docet dies, siquidem videamus, in illis provinciis et locis, ubi variola vaccina diligentius inscritur, vestigia vix apparere humanarum variolarum, ipsamque populationem in dies majora ac majora capere incrementa. Maligni humores, qui morbo varioloso e corpore eliminari putantur, productum potius sunt contagii maligni, quod fermenti instar sanguinem optimum et sanos humores corrumpit, ac liquefacit, atque corpori cum majore sanitatis jactura subtrahit. Videmus deni-

que, vegetos esse, et optima perfrui valetudine eos, qui variola vaccina rite defuncti sunt, ut et reliquos infantiles morbos facilius perferant, quam ii, qui variolarum humanarum morbo labefactati in eas incidunt aegritudines.

Cum igitur penitus certum sit, variolam vaccinam mitissimum una ac tutum esse contra malum variolosum remedium; cum leni insitionis opera gravissimus morbus praecaveri, prolium vita conservari, et multa corporis mala, a variolis humanis promanantia, eadem praeverti possint vaccina; cum denique Rex clementisimus salutare vaccinae institutum per Regnum universum ea benigne ordinaverit ratione, ut tanti beneficii, coelitus nobis missi, quivis facile et sine omni plane sumtu particeps reddi possit: — nemo certo parentum amplius erit, qui remedium tantae utilitatis parato non arripiat animo, ut suum erga liberos suos expleat officium, ut proles suas a tristi aegritudine et interitu salvet, utque paternis Suae Majestatis Sacratissimae monitis, tanquam fidelis subditus et bonus patriae civis, promtissima voluntate et grato obediat animo!

§. 41.

Coactio indirecta.

Nulla quidem coactione populus ad recipiendum salutare vaccinae remedium compellitur,

manetque eum, qui liberos suos culpa propria variolarum humanarum periculo exposuerit, socordiae suae et renitentiae sufficiens gravatae conscientiae poena. Ut vero minus obsequiosi parentes incitentur, et morbi variolosi propagatio ultra prohibeatur; de positivo Suae Majestatis Sacratissimae jussu, nullus juvenum stipendio quodam donari, vel publicae educationis instituti particeps reddi poterit, nisi legitimo comprobet testimonio, se vaccina genuina defunctum, vel variolas humanas jam perpessum fuisse. Orphanotrophiorum et quorumvis publicorum institutorum alumni, si eatenus nulla adest certitudo, sine discrimine vaccinae fomite inserendi jubentur. *) Tirones militum vero, etsi talia scripta adferant testimonia, omni in casu, ubi cicatricum perpessae variolae vaccinae aut humanarum variolarum desunt vestigia, vaccina insitiendi mandantur **).

Si denique variolae humanae alicubi eruperint, commercium cum infectis familiis restringendum, conclavia, in quibus aegri variolosi decumbebant, utensilia quaevis, vestes et lecti stra-

---

*) B. Decr. Aul. de 5. Nov. a. 1813. Nro. 13,627. Circ. Int. de 30. Nov. ejusd. a. Nro. 28,769. Ben. Decr. Aul. de 26. Maji a. 1827. Nro. 6,399. Nrus. Cons. 20,104. Ben. Decr. Aul. de 24. Aug. ejusd. a. Nro. 11,059. Circ. Int. de 9. Oct. ejusd. a. Nro. 26,401. 6.)

**) Vorschrift über die Leitung und Ausübung des Impfgeschäftes der k. k. Armee und der Militärgränz - Bevölkerung. Wien. 1824. §. 8—10.

gula, quibus iidem utebantur, sollicite et praescripto modo publica sub inspectione repurganda, lavanda et ventilanda; corpora demum ex variolis mortuorum hominum conspectui haud exhibenda, et mox sine hominum confluxu sepelienda ordinantur *).

---

* Circ. Int. de 6. Nov. a. 1827. Nro. 29,151. advol. Instructio pro mortuorum revisoribus. Bud. 1828. §. 15.

Caput IV.

De iis quae insitores concernunt.

§. 42.

Summa praeceptorum.

Quae benignis ordinibus et scriptis popularibus (§. 39.) Medicis et Chirurgis, variolam vaccinam insitientibus, pro observatione praescripta sunt, ad ea redeunt praecepta, quae de vaccinae fomite, de insitionis methodo, de variolae tutoriae decursu, deque praecavendis, consopiendis et eliminandis variolis humanis tractant *).

*) Praecepta instituendae vaccinationis pro Medicis et Chirurgis, cum Circ. Int. de 13. Maji a. 1804. Nro. 5,524. et alia similia praecepta cum Circ. Intim. de 30. Nov. a. 1813. Nro. 28,769. publicata. Item: Vorschriften für Aerzte und Wundärzte des Königreichs Ungarn, welche die Kuhpockenimpfung ausüben wollen. Ofen, 1813. Idem opusculum in slavo-serbicum et valachicum versum; Circ. Int. de 24. Junii a. 1817. Nro. 18,711. Opusc. Doctoris *Josephi Szathmáry* hungarico sermone conscriptum cum Circ. Int. de 7. April. a. 1818. Nro. 9,650.; opusc. Doctoris *Bene* germanicum et Hungaricum cum Circ. Int. de 18. Maji a. ejusd. Nro. 13,948. Idem *Szathmárianum* opusc. in latinum et slavo-serbicum traductum cum Circ. Int. de 26. Jan. a. 1819. Nro. 2,304. publicatum.

I. De variolae vaccinae fomite.

§. 43.

Materiae vaccinae qualitates

Variola vaccina, ad certum gradum evoluta, cellulis suis humorem tenet peculiarem, contagii sui generis vehiculum, qui punctim incisa pustulae cuticula roris adinstar propellitur, et mox in guttulam majorem, variolae superficiem inundantem, formatur. Refert autem haec materies, ubi e pustula genuina et prius nullatenus laesa, inter sextum et nonum diem manat, lympham penitus limpidam, glutinosam, inodaram, subsulsi saporis, humori lacrymali, sero aut glutini animali, aqua soluto, analogam. Post diem nonum e pustula plorans haec lympha turbida, ex albo flavescens ac purulenta apparet, et penes majorem, quam nunc possidet densitatem, viscosa minuitur indole. Limpidus fomes aëri expositus mox siccatur, et abit in crustam diaphanam, aqua, vapore aqueo, saliva, gummi arabici solutione et ammonia diluta facile solvendam.

Chemica hujus materiae indoles, a cel. *Dupuytren* et *Husson* quidem tentata, nondum satis constat; fixam tamen prodit ea materies naturam. Etenim variola vaccina, nisi fomes ejus sub cuticulam inseratur, contagiosa haud advertitur*),

---

*) *Joh. de Carro:* Beobachtungen und Erfahrungen über die Impfung der Kuhpocke. A. d. Franz. übers. von Dr. *Jos. v. Portenschlag.* Wien, 1801. p. 18. sq.

estque notum, lympham liquidam et siccam congruis sub adminiculis, per plures menses, imo et in alterum annum conservari, quin suam perdat efficaciam. Aëri tamen libero longius expositus vaccinae fomes virtutem suam perdit, et destruitur mox humore et calore, lucis influxu, mercurio, acidis, chlorinae vaporibus et quibusvis peregrinis substantiis, talibus praecipue, quae polarium principiorum produnt praevalentiam *). Advertit denique *Sacco*, lympham vaccinae microscopio subjectam globulos continere, et quidem eo copiosiores, quo pustula recentior ipsaque materies efficacior fuerit, hosque globulos, acidis et aqua solubiles, in materia genuinae pustulae oblongos esse, inque spuriae pustulae lympha ad sphaericam magis accedere figuram **).

§. 44.

Quonam tempore vaccinae fomes efficacior sit.

Conspirant omnes quorumvis insitorum observationes, variolam vaccinam primis suae evolutio-

*) Habet contagium variolae vaccinae id cum aliis contagiis animalibus commune, quod acidorum ope, chlorina praecipue et omnibus polaribus substantiis, facile destruatur. (Conf. observationes Doct. *Eichrodt*. Med. Chir. Zeit. Salzb. 1810. II. B. p. 107. sq.)

**) *Ludwig Sacco's* neue Entdeckungen über die Kuhpocken, die Mauke und die Schaafpocken. A. d. Ital. übers. von *Wilh. Sprengel*, Leipzig. 1812. XII. Kapit.

nis diebus efficacissimam fundere lympham, ut adeo quinto jam die papula minoris adhuc molis valentem saepe largiatur fomitem, post nonum vero diem ejus materiae virtus multum deminuta observetur. *Septima* autem dies, qua pustulae satis evolutae conspiciuntur, copiosa et maxime efficaci lympha turgent, fomiti desumendo optime respondet, ut paribus hebdomadis diebus vaccinae insitio commodissime continuetur. A nono vero die incertus est lymphae effectus, cujus virtus serius, ubi humor turbidus, albo-flavidus, opacus demum ac vere purulentus redditur, et halo ruber latius diffunditur, unaque coccineum induit colorem, ubi demum puriformis materies in crustam densari incipit, penitus tandem perditur. Patet itaque hinc, incertum esse insitionis effectum cum lympha post nonam diem e pustula hausta.

§. 45.

A quibus individuis lympha desumenda.

Ut vaccinae fomes efficax obtineatur, justus fieri debet individuorum delectus. Infantes juniores adultioribus in genere praeferendi, cum ex eo, quod pustulas integras potissimum, unguibus haud laesas exhibeant, et magis patientes sint, tum ex eo vel maxime, quod apud adultiores dubium oriatur, an vera iis insit erga variolam vaccinam receptivitas. Ceterum torosi, pleni vigo-

ris, et nulla labe affecti infantes atque tales deligendi, in quibus pustularum evolutio debita ratione procedit; denique et illa individua magis efficacem largiuntur fomitem, quae majorem patiuntur organismi universi sub vaccinae decursu affectionem.

Nunquam autem fomes desumendus a talibus, qui iteratis jam vicibus vaccina inserti fuere, aut morbum prius perpessi sunt, variolis communibus analogo, siquidem lympha a similibus individuis repetita, vel penitus iners esse, vel spuriam nonnisi vaccinam provocare soleat *). Vetat praeterea inserendorum securitas, lympham propagare, ab infantibus, labe scrophulosa, rhachitide, syphilide, scorbuto, impetiginibus aut alio quodam acuto vel graviore chronico morbo laborantibus, desumta.

§. 46.

Pustularum delectus.

Cum a fomitis praestantia optatus insitionis successus praecipue dependeat, ut adeo variola

*) Vaccinae fomitem in homine, variolas humanas jam perpesso, pustulam saepe provocare, vaccinae quidem similem, hactenus tamen spuriam, ut lympha e tali pustula desumta in aliis individuis vel nullum exserat virtutem, vel talem excitet variolam, quae nullam habeat tutoriam vim, post *De Carro* et *Auban*, cum pluribus insertoribus experti sumus. Cautum hinc est, fomitem propagare a talibus individuis, de quibus vel aliquod subversatur dubium, an morbo varioloso (sine manifesto etiam exanthemate) prius non fuerint affecti.

spuria, vel secus qualitatibus suis minus respondens, materiem largiatur, quae spuriam nonnisi et haud tutoriam provocet vaccinam, aut irritam reddat insertionis operam; pustularum quoque justus fieri debet delectus. Ante omnia autem advertendum, an pustula omnes praeseferat genuinae variolae vaccinae characteres, anve tempore spectato debite sit evoluta. Deligendae praeterea pustulae integrae, nullatenus laesae, duriusculae, turgidae et tales, quae instrumento impungenti resistant, atque humorem parcum, limpidissimum ac viscosum, roris guttulae ad instar fundant. Ubi unica tantum adest pustula, eadem, ut rite evolvi possit, intacta relinquenda, nec certa est fomitis virtus, dum unica solum post plures punctiones comparet variola.

Cum autem minus certum saepe sit, an infans, e cujus pustula lympha desumitur, tunc praecipue, ubi adultior fuerit, morbum variolosum prius non fuerit perpessus; causa evitandae pustulae spuriae, et obtinendae majoris certitudinis, congrue suadetur, ut in brachio quovis ejusdem infantis insertio fiat cum fomite, a duobus diversis individuis desumto *), id quod occasione com-

*) Dr. *Auban* fide sua jubet, hac ratione factum, ut inter 60,000 variae aetatis et sexus diversi homines, Constantinopoli a se insertos, ne unicus quidem a morbo varioloso correptus fuerit, licet idem malum ea in urbe quovis anno recurrerit. (La Clinique. T. III. Nro. 51. — *Froriep's* Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde. XXIII. Bd. Nro. 6. 1829. p. 91. sq.)

munis insitionis (§. 26.), ubi plures ceteroquin praesto esse solent inserti infantes, observari facilius potest.

§. 47.

Quibus cum cautelis fomes desumendus.

Levis quidem est operatio, qua vaccinae fomes e pustula desumitur; oportet tamen insitorem caute id perficere opus, ne infantem laedat, neve lympham inertem reddat, quod sequente fit ratione. Facto pustulae delectu, brachium nudatum infantis, lucem versus collocatum, manu sinistra attactu leni infra pustulam ita tenet insitor, ut omnem ejus cohibeat motum; mundo nunc et idoneo insitionis instrumento cuticulam pustulae, centro hujus evitato, acuto apice oblique et caute immerso, lenissimis aliquod punctionibus sauciat. Quae modo e cellulis apertis manat, inque guttulam confluit lympha, instrumento insitorio pro usu destinato excipitur.

Sunt autem penes hanc operam sequentes porro observandae cautelae: Advertendum, ne instrumenti apex profundius descendat, quam cuticulae laesio deposcit, neve infans quocunque modo vulneretur, et uberior sanguinis copia proliciatur; dolor enim, laesione quamcunque parva illatus,

minime necessarius, impatientem reddit infantem, et deterret parentes; sanguis lymphae admistus, hujus minuit virtutem, et laesiones paulo majores in tenero organismo inflammationem et graviora provocare possunt symptomata. Vitanda porro omnis pustulae irritatio aut pressio, ne inflammationi detur ansa, neve seri uberior procuretur affluxus, quo fomes diluitur, et viribus minuitur. Cum folliculus, in pustulae vertice sub eschara parva haerens, ut cel. *Sacco* observavit, spurium contineat humorem *), punctiones nunquam in pustulae centro, verum in elevato ejus limbo faciendae. Ubi post aliquod temporis intervallum ex eadem pustula fomes hauriendus est, novi folliculi perpungendi, siquidem semel vacuata et rursus repleta cellula minus potentem contineat lympham. Oportet praeterea in omni individuo unam adminus pustulam intactam relinquere, ut debita variolae tutoriae evolutio non ubique perturbetur, utque character ejus subsequentibus revisionibus penitius cognosci valeat. Summa denique cura in munditiem instrumenti insitorii convertenda, et constat, ferri rubiginem fomitem vaccinae inertem praecipue reddere.

---

*) *Sacco* l. c. Cap. IV.

§. 48.

Liquidus et recens vaccinae fomes virtute praestantior.

Quamvis contagium vaccinae fixam praeseferat naturam, facile tamen a diversis influxibus ita mutatur, ut suam perdat vim (§. 43.); tutius igitur fomes recens, de brachio in brachium protinus translatus, quam lympha quocunque modo conservata adhibetur; praeter id enim, quod haec iners saepe sit, et irritam reddat insitionem, magis complicatam una deposcit operationem. Merito hinc ordinatum habetur, ut vaccina genuina perpetua successione in omni Regni Jurisdictione conservetur (§§. 18—21.), utque summa in conservandam recentem et sinceram variolae tutoriae lympham convertatur (§§. 26—27.) cura.

Ut autem plebs, quae lymphae desumtionem e vaccina prolium suarum cum majore negotii impedimento frequenter recusat, ad humanum id officium promte semper praestandum provocetur, per animarum curatores, perque insitores et alios majoris cultus viros edocenda jubetur: materiae eam desumtionem innocuam penitus, imo ea ratione plane utilem esse, quod per ulteriorem fomitis propagationem uberius cognoscatur, an facta insitio optatum omnino habuerit effectum, siquidem lympha tantum genuinae pustulae vaccinam veram in alio individuo provocare valeat. Si

autem rudiores nonnulli homines eo quoque declarato, quod ad christianum erga proximum pertineat officium, naturae beneficia communia facere, renitentes porro fuerint, et ulteriora salutari negotio posuerint impedimenta; concernentes Magistratus fomitis desumtionem penes assistentiam magistratualem procurandam habebunt *).

§. 49.

Conservatio fomitis pro usibus futuris.

Cum non raro contingat, ut variolae vaccinae insitio ob certa adjuncta interrumpi debeat, saepeque eveniat, ut insertio, causa conservandi recentis fomitis instituta (§. 20. 5.), optato careat effectu; vaccinae lympha, quae extincto recenti fomiti substitui possit, dum et quando colligi, et congruo modo conservari debet. Potest autem vel liquida vel exsiccata asservari lympha.

Lympha liquida methodo a cel. *Sacco* probata optime conservatur, cum eadem, instrumento sulcato e pustula hausta, in tubulum vitreum, altero fine prius ferruminatum, circa mediam lineam latum, immittitur; materie nunc repletus tubulus

*) B. Decr. de 16. Maji a. 1816. Circ. Int. de 10. Junii a. 1817. Nro. 16,899. Ben. Decr. Aul. de 25. Maji a. 1827. Nro. 6,399. Nrus. Cons. 20,104. ejusd. a. Ben. Decr. Aul. de 21. Aug. a. 1827. Nro. 11,059. Circ. Int. de 9. Oct. ejusd. a. Nro. 26,101. 5).

mundo obstruitur subere, et cera intra digitos emollita, probe clauditur, chartae involvitur, et loco frigidiusculo, radiis solis haud pervio, nec temperiei vicissitudini obnoxio, reponitur. Dum lympha longius conservanda, vel ad loca remotiora mittenda est, tubulus vitreus, charta munitus, in majorem imponitur tubulum, peraeque probe obstruendum, et iste demum languneulae, mercurio vivo repletae, immergitur *). Methodo a *Jennero* proposita, minus tamen congrua, lymphae gutta laminae vitreae, politae et semiopacae excavationi immittitur, et simili lamina tegitur, laminarum marginibus cera obductis.

Exciccatus fomes varia conservatur ratione. Alii fila lintea, aqua pura praeviae maccrata, lympha recenti imbuunt, inque tubulo vitreo probe clauso, et charta munito asservant. — Simili modo adhibentur penicilli parvi vel spongiae marinae excoctae, mundae et siccatae frustilla, quae materia vaccinae impregnatae perinde vitro clauso servantur. — Alii utuntur acu aut lanceola argentea vel aurea, quae recenti fomiti immergitur; ast metallum omne lympham, ob chemicum aut galvanicum saltem influxum, facile destruit, quod quidem imprimis de ferreis et chalybeis valet instrumentis, quae mox oxydantur, rubiginem contra-

*) Refert *Sacco* lympham liquidam hac ratione, et lagenula in puteum mersa, per annos duos optime conservatam fuisse (l. c. Cap. V.)

hunt. — Magis idoneae sunt indifferentes substantiae: laminae vitreae, lanceolae eburneae, rosarum et aliorum vegetabilium spinae etc., in quibus siccatus fomes sub cautelis generalibus longius conservatur. Commodissimum vero est, pennam anserinam, ad formam dentiscalpii scissam, lympha recenti impraegnare, et pennae alteri vaginae instar imponere, atque cera emollita munire.

Quamdiu fomes dictis modis efficax conservari possit, in genere definiri nequit; ultra quatuor autem menses conservatus perquam dubii est effectus. Aestate calidiore exsiccatus tutius conservatur ac humidus, qui calore facile corrumpitur; lympha vero liquida magis accommodum praebet usum. Oportet demum insitorem in deligenda vaccinae lympha, dum eam conservare, aut in remotiores partes mittere intendit, praescriptas cautelas (§. 44—47.) vel maxime observare.

§. 50.

Crusta vaccinae incertum largitur fomitem.

Cum constet, crustam variolae humanae contagiosam longius retinere vim, vaccinae crustam perinde idoneam esse pro insitione censebant, et erant complures insitores, qui post Holsaticum Physicum *Hellwag* *) experimenta instituerint,

*) *Hellwag* (Im nordischen Archiv für Natur- und Arzney-Wissenschaft. I. Bd. 1. St. 3. Abth. 1).

eam opinionem quadantenus confirmantia. Suadent hinc: ut vaccinae crusta, quae in genuina et nullatenus laesa pustula circa decimum aut duodecimum diem oritur, quae una laevis sit, orbicularis, semidiaphana ac badii coloris, vel sicca, vel vero recens in pulverem trita, cumque aqua in olei spissitudinem redacta, tubulis vitreis conservetur; et suo tempore pro insitione adhibeatur *).

Quamvis vaccinae crusta, hoc modo conservata, per plures menses, imo per annos etiam virtutem suam retinuisse asseratur; spectato tamen eo, quod et recens lympha, a nona die e pustula hausta, virtute sua minus respondeat (§. 44), a crustae ejus usu, experientia id suadente **), merito abstinetur.

§. 51.

Fomitis renovatio.

Quamvis vaccinae contagium congruis sub adminiculis naturam suam haud mutet, ut longa annorum serie per innumera individua migrans genuinam semper provocet pustulam, et tutoria vir-

*) *Gregor Uiberlacher:* Nachricht über die Wirksamkeit und Nützlichkeit der Kuhpocken-Impfung mit dem Schorfe. Wien, 1807. Cum. Ben. Decr. Aul. de 2. Junii a. 1808. Nro. 5,544. submiss. Nrus. Cons. 13.246. Intim. de 20. Sept. ejusd. a. Nro. 21,294. quibusdam Jurisdictionibus pro capiendo congruo usu submissum.

**) In Caes. R. Austriacis provinciis crustae usus penitus prohibitus. Hofkanzley Decr. v. 7. Oct. 1813. Nro. 15,726. Regier. Verordn. v. 23. Oct. 1813. Nro. 30,781.

tute haud minuatur (§. 9.); renovari tamen ejus fomes tunc illico debet, ubi insitiones in pluribus individuis optato carent effectu, dumve pustularum evolutarum character a recto ordine vel modico tantum deflectit. Repetent autem in simili casu insitores lympham ab aliis insitoribus, fomite genuino, et nulli dubio subjecto, provisis; vel petet filialis Deputatio sinceram vaccinae materiem a centrali Commissione (§. 19.) sibi suppeditari. In locis illis, ubi variola tutoria in vaccarum uberibus occurrit, si eadem genuina fuerit (§. 5.), in usum renovandi fomitis opportune adhibetur *). Cautum autem est, materiem ab ignotis suppeditatam, antequam genuina virtus penitus comprobata fuerit, ultra propagare.

II. De insitionis methodo et variolae vaccinae decursu.

§. 52.

Insitionis scopus et notio.

Duplex est insitionis variolae vaccinae scopus: ut singuli homines a variolis communibus tuti red-

---

*) Recurrunt hoc fine insitores nonulli dum et quando ad Anglos, quod quidem in omni casu periculo non vacat, siquidem constet, in Anglia hic et ibi fomitem vaccinae cum variolarum humanarum contagio causa faciendorum experimentorum mistam fuisse.

dantur, utque sublata in hominibus ad recipiendum variolarum humanarum contagium opportunitate, morbus variolosus penitus exulat. Absolvitur autem insitio artis opera, qua genuinus et efficax variolae tutoriae fomes sub cuticulam mittitur, ut in contactum ponatur cum vasis absorbentibus.

§. 53.

Delectus temporis et individuorum.

Adeo levem quidem provocat variola tutoria aegritudinem, ut omni anni tempore omnique vitae periodo ejus institui possit insitio (§. 24.). Summus tamen aestus et rigidum hyemis frigus, nisi id gratia conservandi fomitis fiat, vel regnantes in loco variolae humanae urgeant, vitari solent; nec sine necessitate infantes tenerae aetatis, sex hebdomadas necdum nati, et pluribus adhuc affectionibus obnoxii, inserendi. Sic et certae evolutionis periodi, dentitionis, pubertatis, catameniorum et graviditatis, pro tutiori evitantur.

Cautum autem est, proles inserere, quocunque febrili morbo affectas, aut graviore quodam malo chronico laborantes. Schrophulosa affectio, rhachitis, psora, crusta lactea, tinea capitis et aliae similes affectiones, universum organismum minus impetentes, vaccinae insitionem in genere non vetant; nunquam tamen fomes a similibus

individuis desumendus, et ultra propagandus. Cavendum vero ab insitione variolae vaccinae, ubi scarlatina, morbili, tussis convulsiva, angina membranacea, aut alii perniciosi infantum morbi viguerint, ne infelices, ab iis morbis facile adducendi mortis casus, innocenti adscribantur variolae tutoriae.

Sani infantes nulla penitus egent cura praeparatoria, antequam inserantur; suadet vero ratio, ut morbidi remediis congruis tractentur, et restituti demum inserantur.

§. 54.

Instrumentum insitorium.

Quemadmodum insitio operatione simplicissima perficitur, ita et instrumenti forma parum refert, ut adeo insitio vel lanceola, vel acu sulcata, aut demum etiam acu communi, vel et plantarum spina, perfici possit. Commodissime tamen deservit lanceola, quae mucronem versus coarctata sit. Qualecunque autem adhibeatur instrumentum, oportet illud apice bene acuminato provisum, planiusculum ac tenue, minime fragile et ita comparatum esse, ut manu facile teneri ac tractari possit; instrumenta orichalcina, fomitem mox destruentia, nusquam adhibenda. Summa demum cura in munditiem instrumenti convertenda, et cavendum ne rubiginem contrahat.

§. 55.

Modus insitionis.

Ubi plures simul inserendi sunt infantes, cubile sat amplum, aëri pervium et lucidum deligendum, nec unquam justo plures in angustum spatium coacervandi, et morbidi protinus removendi. Suprema et exterior brachii pars, cui musculus deltoides respondet, commodissimus est insitionis locus *), qui cute admodum sicca vel immunda ope spongiae, aqua calida immersae, abluitur; apud infantes torpidos, palidos et laxos insitionis locus panno sicco praevie perfricandus.

Ad insertionis operam procedens insitor, instrumentum, fomite imbutum (§. 47.), dextra tenet manu, sinistra vero insitiendi brachium ita prehendit, ut omnem ejus cohibeat motum, quin tamen aliquam infanti inferat vim; tendit nunc digito indice et pollice cutis inserendam partem; immittit modo instrumenti apicem oblique sub cuticulam ad mediam fere lineam, ea cum cautela, ut substratum vasculosum textum minus laedat; circumagit aut invertit modo instrumenti apicem sub cuticulam immissum, et prius quam instrumentum e vulnusculo educit, pollice sublevatam cuticulae partem leniter deprimit. Lympha, quae

---

*) Apud puellas paulo altiore brachii parte insitio instituitur, ut cicatrices subinde vestimentis tegantur.

remoto instrumento adhuc fors adhaeret, detergendo ultra illinitur insito loco.

Quamvis unica sufficiat pustula ad praecavendam variolam humanam, tutius tamen est, in singulo brachio duas facere insitiones *), quae uno minime pollice a se mutuo distent, ne invicem confluant, et majori inflammationi occasionem praebeant. Oportet autem cautum esse insitorem, ut omnem doloriferam et cruentam laesionem sollicite evitet. Licet praeterea exigua fomitis molecula sufficiat ad provocandam pustulam, ut instrumento semel imbuto plures insitiones fieri possint; tutius tamen est, instrumentum, rite prius mundatum, post omnem punctionem fomite denuo impraegnare. Insitionum loca aliquo tempore, donec adhaerens lympha aut sanguinis guttula, e vulnusculo saepe manans, siccata fuerit, aëri libero exponenda, nullatenus detergenda aut plane abluenda, nec emplastro tegenda vel secus deliganda, nisi major infantis inquietudo id deposcat.

---

*) Faciunt alii plures insitiones, et adstruit *Jahn*, paucas pustulas haud sufficere, ut tutus reddatur insertus, quo minus morbo varioloso sit obnoxius, ut adeo 6—9 insitiones in quovis brachio, inque singulo femore faciendas suadeat. (*Horn's* u. *Wagner's* Arch. für medic. Erfahrung. Berl. 1827. Nov. Dec. p. 1001. sq.) Communis tamen experientia docet, paucas, vel et unicam sufficere pustulam, modo ea genuina omnino sit.

§. 56.

Conservati fomitis usus.

Eadem ratione inseritur lympha liquida, superius (§. 49.) dicto modo conservata. Si vero necessitas exigit, siccum adhibere vel pro parte inspissatum fomitem, varius est pro ratione, qua idem asservabatur, inserendi modus. — Fila impraegnata, vapore aqueo aut saliva tantisper emollita, ac in particulas minores dissecta, sub cuticulam mittuntur, lanceola pertusam et elevatam. — Lympha pro parte inspissata aquae frigidae guttula diluitur, et pari ratione ut recens inseritur. — Lanceolae aut acus aureae vel argenteae, aut spinae vegetabilis imbutus apex oris halitu, saliva vel aquae vaporibus tractandus, ut exsiccata lympha in glutinis speciem vertatur; incisa nunc cuticula, immissus instrumenti mucro saepius agitatur, et post longiorem moram demum removetur. — In lamina vitrea exsiccatus fomes aquae frigidae vel tepidae guttula, vel tenui gummi arabici solutione resolvitur, et lanceola exceptus, dicto modo, sub cuticulam inseritur. — Pari ratione adhibentur penicilli et spongiae marinae frustilla, vaccinae lympha imbuta. — Ubi lanceolis eburneis adhaeret siccus fomes, hoc emollito, et facta ope lanceolae chalybeae punctione, impraegnatus mucro sub cuticulam mittitur, et post iteratam agitationem ac moram paulo longiorem demum re-

movetur. — Ceteris modis tutior ac efficacior est sicci fomitis insertio ope pennarum, ad modum dentiscalpii incisarum, cum praemissa ope lanceolae chalybeae punctura, fomite imbutus pennae apex sub epidermidem mittitur, et resectus ope telae, gummi arabico illinitae, paulo longius in loco retinetur.

§. 57.

Variolae vaccinae evolutio et decursus.

Ubi tres concurrunt conditiones: fomes genuinus et efficax, debita insitionis ratio, et inserti individui requisita opportunitas, nec aliqua supervenit causa, factae insitionis effectum perturbans aut penitus cohibens; genuina vaccina evolvitur, cujus decursus, ut in plerisque saltem casibus esse suevit, sequentibus absolvitur periodis:

Primum quod saepe advertitur, est levis quidam tumor cum rubore quasi erysipelaceo in loco punctionis. Habetur id pro signo efficacis insitionis, et disparet mox, ut altera jam die vestigium vix cernatur factae insertionis.

Die tertia, seu post tertium a facta insertione nychthemeron, tuberculum rubrum, seminis milii magnitudinem et figuram imitans, supra cutem parum eminens, attactu duriusculum, quandoque lenem pruritus sensum provocans, emicat.

Die quarta idem tuberculum in nodulum majorem, rotundum aut oblongum, et marginibus elevatum, formatur.

Die quinta aucta apparet papula, jamque in vesiculam abit transparentem, ex rubro albidi coloris, in centro depressam, marginibus elevatam.

Die sexta et septima pustula magis evolvitur, ut vesiculam sistat latiorem et magis prominentem, cellulis lympha diaphana turgentibus; distinguitur praeterea uberius foveola in pustulae centro, quod velut toro circulari, albido, in ceruleum vergente, cingitur; apparet una in vesiculae margine areola (*halo*) rosei coloris, tantillum tumidus, duriusculus, pruriens, et advertitur attactu tumor quidam durus, in profundo pustulae et haloni substratus.

Die octava pustula ad perfectum statum evolvitur, ut, lympha diaphana turgens, pisi dimidii figuram et magnitudinem consequatur, margariti colorem exhibeat, et foveola media minuatur; areola rubra calens, tumens, attactu dura, et aliquantulo dolens (inflammata), ad lineae latitudinem augetur.

Saepe hac jam die humor vaccinae turbidus redditur, et superveniunt nunc frequentius symptomata febrilia, tam quidem lenia potissimum, ut pulsus vix mutatus sit, lassitudo corporis, modicus capitis et extremitatum calor, sitis aucta, animus aliquantulo prostratus, faciei pallor, so-

mnus inquietus cum aliqua ad vesperam exacerbatione advertantur; tumescunt saepe eodem tempore glandulae subaxillares, et dolent sub attactu. Durant haec persaepe aliquot tantum horis, ad summum, nisi paulo major sit anomalia, per nychthemeron.

Die nona pustula parum latescit et planatur, foveola media fere disparente; lympha redditur albida, turbida aut pallide flava; halo ampliatur, tumet magis, rubet profundius, estque durus, et comparet frequenter hac demum die febricula memorata.

Die decima pustula magis complanata cernitur, ut vix ultra lineam supra cutem promineat, et lentis, duas usque quatuor lineas latae, marginibus subito desinentibus, exhibeat figuram; foveola media penitus disparente, variola puriformem continet materiem; halo cum tumore et duritie, in textum cellulosum profundius descendente, ad unum usque duos polices protenditur; rubet idem profundius ad pustulae marginem, in ceruleum nonnunquam fere vergens, et pallescit peripheriam versus, donec in pallide rubrum desinat circulum, marginibus inaequalibus distinctum.

Die undecima idem fere est pustulae et areolae status.

Die duodecima pustula ex centro peripheriam versus arescere incipit; agit in medio maculam fuscam, quae in crustulam abit, et spissatur hu-

mor puriformis in vesica arescente contentus. Halonis tumore et rubore subito nunc decrescentibus, durities, hactenus observata, disparet.

Die decima tertia, *et decima quarta* pustula contrahitur, et tegitur tota ejus superficies fusca aut nigra, nonnunquam utroque colore, et medio profundiore distincta, dura, cornea fere et fortius adhaerente crusta, quae sine dolore ac cruentatione, et absque exulcerationis periculo violenter detrahi haud potest. Disparet nunc omnis tumor et rubor, ut nullum amplius supersit halonis vestigium.

Octava die ab exarescentia variolae vaccinae, aut paulo serius, dicta crusta, noduli instar supra cutem prominens, sponte sua solvitur et decidit. Remanet nunc vaccinae cicatrix, quae foveam sistit circularem, fundo suo minores foveolas exhibentem, cellulis pustulae perpessae respondentes.

§. 58.

Variolae vaccinae stadia.

Contagiosum variolae vaccinae exanthema (§. 9.) pari cum morbis exanthematicis, contagio propagandis, percurrit stadia. Si igitur genuinae vaccinae decursus (§. 57.) consideretur, sequentes advertuntur periodi:

Stadio primo (delitescentiae, seu infectionis), quod primis tribus diebus absolvitur, tuberculum inflammatum evolvitur.

Stadium secundum (eruptionis seu evolutionis) a quarta usque septimam diem absolvitur; formatur hoc tempore vesicula, quae lympham contagiosam secernit.

Stadium tertium (florescentiae ἀκμὴν) incidit in octavam et nonam diem; attingit hac periodo variola ejusque lympha maximam perfectionem, ut et universus organismus in reactionem provocetur, ac una sic mutetur, ut contagium variolosum non amplius recipiat*).

Stadium quartum (deflorescentiae seu exsiccationis) a decima usque decimam tertiam diem decurrens, decrescentiae est periodus, qua areola inflammata pedetentim disparet, et lympha, prius jam spissescens, in materiem puriformem abit, ipsaque crusta formatur.

Ultimum denique stadium desquamationi respondet; induratur nunc et contrahitur crusta, qua demum decidente omnis absolvitur variolae vaccinae decursus.

§. 59.

Quaedam variolae vaccinae anomaliae.

Contingit nonnunquam, ut variolae vaccinae decursus ab exposita (§. 57.) deflectat ratione;

*) Dicunt observatores (*Osiander*, *Kühn*), insitorum perspirationem et halitum hac perido similem praeseferre odorem, ut in morbo varioloso esse solet.

quin tamen ideo indolem genuinam semper mutet, et tutoriam admittat vim. Praecipuae hujus generis anomaliae sunt: *serior eruptio*, ut tuberculum, tertia die potissimum efflorescens, post sextam, octavam diem, vel altera demum hebdomade in conspectum veniat, reliquis stadiis solito saepe ordine decurrentibus; — *segnior pustularum formatio* et solito tardior vaccinae decursus, ut in phlegmaticis individuis, et hyemis tempore nonnunquam contingere solet; — *velocior* vaccinae decursus, ut variola tutoria omnia stadia usque sextam aut septimam diem releget, quod in hominibus plethoricis et robustis rarius, frequentius vero in iis observatur, qui variolam humanam vel vaccinam jam prius perpessi sunt.

His accedit nonnunquam *putularum aliarum eruptio*, ut pustulae aut alia exanthematis species, vel in ambitu variolae vaccinae (*Nebenpocken*), vel in facie et aliis corporis partibus (*pustulae generales*) compareant. Efflorescunt quippe absoluto vaccinae decursu, circa decimam quartam igitur diem, papulae parvae, rubicundae, variolae vaccinae similes, quarum nonnullae in turbercula violacea et prominentia abeunt, post dies aliquot evanescentia; aliae vero earum pustularum ordinarium variolae vaccinae decursum observant, et generant lympham puriformem, quae aliis insita, vaccinam veram provocare solet, quin tamen hic ejusmodi posthumae pustulae rursus producantur.

Constat autem observatione, pustulis localibus et generalibus obnoxios esse infantes scrophulosos et tales, qui vaccina imbuti contagio variolarum humanarum exponuntur. — Exanthema, quod vaccinam saepe comitatur, diversam exhibet formam. Est enim saepe pullicum morsui, miliaribus aut rubeolae simile; alias vero halo pustulam cingens nimium rubet, extenditur ultra solitos limites, ut brachium totum ocupet, vel ad. remotiores etiam partes diffundatur (*Roseola vaccinae Willanii*).

Ceterae denique anomaliae, quae hinc et inde occurrunt: *tuberculum inflammatorium*, illico post insitionem comparens, post breve tamen tempus disparens, et tunc praesertim occurrens, ubi lympha recens e vaccarum uberibus desumitur (*Sacco*); — *areola admodum pallida*, vel plane *deficiens*; — *crusta* solito citius aut serius comparens, insolitae formae et coloris*). Denique refert *Sacco*, *processum contagiosum* post factam vaccinae insitionem *absque pustulis* nonnunquam concitari, quo homines perinde tuti reddantur a variolis communibus. Minus tamen certae hae sunt observationes, licet id de variolis humanis et aliis exanthematicis constet morbis.

---

*) *Raimann* l. c. p. 133. — *Richter* l. c. p. 364. — *Hildebrand* l. c. p. 303. — *Sacco* l. c. — *Friese* und *Heval:* Archiv der die Ausrottungspocken betreffenden Erfahrungen und Verhandlungen. Breslau. 1802. II. Bde. — *Willan* et *Mühry*. l. c. p. 141. sq.

§. 60.

Symptomata peculiaria et remedia.

Accidit aliquando, ut symptomata peculiaria, localia vel universalia, variolae vaccinae sese adsocient, curam distinctam deposcentia.

Localibus ejusmodi affectionibus adnumerantur:

a) *Pustula* solito *amplior*, quae potissimum insignem in basi inque peripheria inflammationem habet comitem, quaeve inde fere repetenda est, quod sub insitione major textus vasculosi plaga epidermide nudata, et lymphae contagiosae contactui exposita fuerit. Sunt praeterea infantes magis irritabiles huic eventui saepe obnoxii. Oportet autem tales pustulas sollicite custodire, et a quibusvis laesionibus leni deligatione praecavere, atque uberiorem inflammationem convenientibus mitigare remediis.

b) In aliis casibus penes normalem variolae vaccinae conditionem gravior oritur *inflammatio*, ut brachium insertum in majore circa pustulam peripheria tumeat, profunde rubeat, potenter caleat et doleat, utque eadem (erysipelatosa) inflammatio per totum brachium extendatur, glandulas subaxillares et remotiores partes in compassionem adducat, febrim saepe intensiorem provocet, et suppurationem minetur. Causa ejusmodi mali vel in prava constitutione individui, vel in opera insitionis, vel denique in supervenientibus sub vac-

cinae decursu inimicis influxibus sunt quaerendae. Nimia infantis irritabilitas aut debilitas, cachecticus status, labes rhachitica, scrophulosa aut scorbutica diathesis, vel syphilis huic eventui occasionem facile praebent. In aliis casibus incauta aut rudis insertio, instrumento impuro, obtuso, rubiginoso peracta; laesio justo major, profundiores praecipue partes attingens; fomes corruptus, vel peregrinis contagiis inquinatus; impunctiones penes se invicem factae, ut pustulae confluant; pustularum laesiones, aut praematura crustae detractio, similem adferunt inflammationem. Denique conciliant id symptoma exanthemata sub vaccinae decursu supervenientia, refrigerium et aliae morbiferae causae. Exigunt vero ejusmodi inflammationes pro ratione individuae constitutionis et phlogoseos intentionis, praeter causarum remotionem, regimen et curam antiphlogisticam, fomentiones tepidas, emollientes, vel et frigidiusculas, cum plumbate aceti remistas, atque topicas quoque pro renata sanguinis depletiones.

c) Abeunt nonnunquam, neglecta praecipue inflammatione, pustulae variolae vaccinae in *ulcera suppurantia*, quae pro diversa conditione accommodis tractanda veniunt, topicis et universalibus, remediis.

Symptomata *universalia* quae variolae vaccinae dum et quando sese associant sunt: *febris vehementior*, per plures dies protracta, quae tamen, si

unice a vaccinac cvolutione provenit, praeter congruum regimen vix aliqua requirit pharmaca; febres aliac diversae indolis, quae sub vaccinae decursu nonnunquam evolvuntur, et peculiaribus nocivis influxibus adscribendae; exanthema vaccinae socium (§. 59.), congruo sub regimine sponte mox disparens; exanthemata alia, morbili, scarlatina, rubeolae, variolae humanae verae tales aut spuriae; status gastricus, biliosus, verminosus, saburra cruda, eclampsia et alii morbi infantiles. Quemadmodum similia symptomata, variolae vaccinae processui nullatenus adscribenda, sed a causis per accidens supervenientibus repetenda sunt, ut frequenter contagium etiam admissum, errores diaetetici accusari debcant, ita et sua, morboso statui convenientia, deposcunt remedia.

§. 61.

Variolae vaccinae genuinae characteres.

Interest summopere *genuinae vaccinae characteres* probe distinguere, ut insitionis effectus quanto certius constet, et debitus fieri possit fomitis delectus (§. 45. 46.). Potest quidem variola tutoria penes anomalias nonnullas (§. 59.) virtutem suam genuinam retinere *); oportet tamen insitorem cautum esse, ne unquam fidem tribuat

*) *Willson* et *Mühry* l. c. p. 135. sq.

pustulis, nisi certos praeseferant characteres. Genuina autem vaccina e sequentibus cognoscitur:

1. E legitima evolutione et decursu (§. 57.) per omnia sua stadia (§. 58.).

2. E pustulae forma, duritie, colore et magnitudine, cuique periodo convenientes.

3. Media praeterea foveola, die quinta apparens, et circa diem nonam evanescens, propria est genuinae vaccinae pustulae.

4. Inter praecipuos sincerae vaccinae characteres refertur areola rubra pustulam cingens, die quinta comparens, usque duodecimam diem latescens, modo vero subito decrescens, ac demum disparens.

5. Huc quoque refertur tumor durus, pustulae et haloni substratus, cumque isto circa diem duodecimam evanescens.

6. Genuina vaccinae pustula lympham limpidam cellulis suis continet, quae ante nonam diem vix turbatur, nec ante id tempus puriformis redditur.

7. Quamvis febricula, quae die octava aut nona a facta insitione comparere suevit, boni sit ominis (§. 45.); potest ea tamen adeo levis esse, ut in multis casibus, genuinae attamen vaccinae, nullatenus observetur *).

8. Prout genuina pustula ante legitimum tempus exsiccari haud incipit, ita etiam crustam for-

---

*) *Willson* et *Mühry* l. c. p. 139.

mat lenticularem, duram, crassiorem, profundioris coloris, fortius adhaerentem, et serius sponte sua decidentem, qua separata orbicularis remanet foveola, cujus fundus, microscopio inspectus, plura exhibet exigua foramella *).

§. 62.

Vaccina spuria.

Occurrunt diversae *vaccinae spuriae* varietates, quae quidem contagiosum persaepe largiuntur fomitem, a variolis humanis tamen nullatenus praecavent. Qualemcunque autem hae exhibeant formam, jam inde cognoscuntur, si genuinae vaccinae desint characteres (§. 61.). Solet generatim spuriarum pustularum decursus velocior esse, ut aliquot horis, vel altera jam die a facta insitione vulnusculum inflammetur, et mox pustula formetur, sub cujus evolutione febris solito vehementior nonnunquam adoritur. Pustula ipsa vesiculam exhibet conoideam, irregularem, crenatam, angulosam, oblongam, foveola media destitutam, et velociter increscentem, ut jam die quarta pisi magnitudinem adipiscatur, mollis tamen sit, levissimo attactu rumpatur, atque cellulis destituta, omnem quem continet, turbidum, puriformem ac saniosum hu-

*) *Willson* et *Mühry* l. c. p. 9. sq. — Conf. *G. Gregory.* Med. Chir. Zeit. 1828. III. Bd. p. 285.

morem, semel effundat, et protinus collabatur. Deest praeterea areola rubra, vel, si adest, a consueta abhorret ratione. Ubi vaccina notha benignae est indolis, paucos post dies arescit, et format crustam irregularem, seu potius escharam teneram, inaequalem, mollem, flavidam aut rubellam, quae saepius repetitis vicibus decidit, iterumque renovatur. Absolvitur similium pustularum cyclus plerumque intra dies septem, cum alias vaccina spuria paulo longiorem habet decursum.

Nonnunquam vero vaccina spuria *malignam* induit naturam, ut adeo gravem saepe concitet symptomaticam febrem, pustula in malignum, anthraci simile, abeat ulcus, atrocior sequatur membri inflammatio, glandulae subaxillares potentius intumescant, et ulcus phagedaenicum remaneat, ichorem acriorem longo saepe tempore fundens. — Remedia topica et universalia, quae in similibus casibus adhibenda veniunt, individuae constitutioni, causis praecedentibus, et circumstantiarum rationi accommodanda *).

§. 63.

Vaccinae spuriae origo.

Praebent saepe eaedem causae, quae anomalias aut symptomata insolita provocant sub vaccinae

*) *Willson* et *Mühry* l. c. p. 145. sq. — *Sacco* l. c. Tab. III. Fig. II. — *Raimann* l. c. p. 134. §. 760. 761. — *Hildenbrand* l. c. p. 305. §. 535—544. — *Richter* l. c. p. 366. sq.

decursu (§§. 59. 60.), et vaccinae spuriae originem; cum autem maxime intersit, vaccinam spuriam, quantum saltem licuerit, ubique praecavere, ejus causae uberius sunt perstringendae. Recedunt vero eaedem in ordines sequentes:

1. Latet frequenter spuriae vaccinae causa in ipso insito individuo. Huc referuntur: labes scrophulosa, rhachitica, scorbutus, atrophia, affectio verminosa; item tinea capitis, herpes, scabies (*Jenner*); latens in corpore, aut mox admissum post vaccinae insitionem variolae humanae contagium. Spuria praeterea vaccinae pustula oritur apud eos, qui variolas humanas, vel et vaccinam prius jam perpessi sunt (§. 45.). Adstruit quidem cel. *Sacco* in posteriore casu mitissimam provocari vaccinam (*Vacinetta* Ital.), quae efficacem et idoneum pro ulterius propaganda variola tutoria largiatur fomitem; ast contrariae observationes ejusmodi lymphae usum vetant.

2. Frequentius oritur vaccina spuria ex fomite immaturo aut praematuro, purulento, vel e pustulis quoquo modo ante legitimum tempus laesis aut destructis, vel e lateralibus aut secundariis pustulis desumto, aut demum ex anomala vel omino spuria vaccina depromto; pari ratione lympha diu asservata et corrupta, vel variolarum humanarum materie remista *), vaccinam spuriam provocare

*) Confer. *Willan* p. 4. sq. — *G. Gregory*. Med. Chir. Zeitg. 1828. III. Bd. p. 286.

potest. Denique et latex illc, qui e pustulae centro hauritur (§. 47.), spuriam excitat pustulam.

3. Tribuitur merito jure spuriae variolae ortus insitioni, cum ea instrumento obtuso, impuro, rubiginoso, pure vel acri quadam substantia inquinato perficitur, aut rudiore modo peragitur, ut et profundiores laedantur partes.

4. Denique constat, causas tales, quae legitimam vaccinae evolutionem quoquo modo perturbant, et proccssum organicum, quo lympha genuina regeneratur, totusque organismus, cutaneum praecipue systema mutatur, convertunt, vaccinae spuriae praebere occasionem. Locales ejusmodi causae sunt: pustulae compressio, laceratio, laesio per rudem ac iteratam punctionem, et quaevis alia irritatio; aditus frigoris et aëris atmosphaerici in cellulas, laesae imprimis variolae; calor intensior aut manifesta ambustio. Universalibus vero causis, quibus vaccina ad sui degenerationem saepe provocatur, errores diaetetici et supervenientes sub illius decursu morbi febriles, exanthematici praecipue, adnumerantur.

§. 64.

Quandonam oporteat, vaccinae insitionem iterare.

Quotiescunque variolac tutoriae insitio sine effectu fuerit, vel evolutae pustulae anomalias quasdam exhibuerint (§. 59.), aut denique spuria comparuerit vaccina (§. 62.), insitio ope fo-

mitis genuini et debite delecti (§. 44—47.) diligentius iteranda. Ubi prior operatio sine omni manet effectu, operatio post octiduum congrue repetitur. In anomalae autem vel spuriae vaccinae casibus consultum est, tunc demum iterare insertionem, ubi priores pustulae penitus disparuerint. Operatione incassum repetita, eadem post intervalla longiora saepius iteranda, donec organismus requisitam fors acceperit receptivitatem, et juvabit tunc insitiones inter pollicem et indicem, vel et in aliis corporis partibus tentare.

Proposita ab Anglis (*Jac. Bryce*, *John Pearson* etc.) insitionis repetitio, quae quarta, quinta aut sexta post primam operationem die, certitudinis obtinendae causa, in omni individuo fiat *), tanquam penitus superflua secure intermittitur. Cum vero in rarissimis casibus contingat, ut post plures demum annos a perpessa vaccina genuina, aut humanas etiam variolas, receptivitas in homine redeat pro utraque exanthematis specie (§. 9. §. 13. 1.), **); insitio variolae vaccinae in nonnul-

*) *Mühry* l. c. p. 155. — *Jac. Bricès* prakt. Beobachtungen ü. d. Impf. d. Kuhpocken; a. d. Engl. v. *F. G. Friese*. Bresl. 1802. — D. *Simeons*: Einige Worte über Kuhpockenimpfung und Nachimpfung (*Henke's* Zeitschrift für die Staatsarzneykunde VIII. Jahrgang. 1828. II. Vierteljahrheft. p. 238—293.) — Dr. *Franque* (ibid. IV. Vierteljahrheft. p. 278—310.)

**) Variolarum bis, ter et frequentius perpessarum exempla collegit *J. B. Burserius*. (Institut. medicinae practicae. Vol. II. §§. 163. et 164.)

lis hominibus post plurium annorum intercapedinem, circumstantiis id suadentibus, tentaminis causa iterari potest. Suadentur vero talia tentamina praecipue tunc, ubi perpessae variolae indoles certo minus constat, ubi unus aut alter homo, vaccinam olim perpessus, variolis communibus reipsa corripitur, vel si constet, nonnulla ejusdem familiae membra morbo varioloso saepius correpta fuisse *).

III. De praecavendis, consopiendis et eliminandis variolis humanis.

§. 65.

Quae triplici huic scopo respondeant.

Cum innumeris constet observationibus, et multorum annorum experientia ad omnem evidentiam sit comprobatum, vaccinam genuinam certum esse adversus variolas humanas remedium

---

*) Cum annis recentioribus in multis Europae et Americae provinciis copiosae regnarent variolae humanae vere talis et modificatae epidemiae, et Medicis permultis fuisset compertum, idem esse contagium, quod utramque exanthematis speciem provocet, quodque organismus humanus post plures demum annos ita mutetur, ut contagium tale rursus recipiat; vaccinae insitionem iterandam D. *G. Grabner-Maraschin* cum multis aliis suadet. (Annali universali di Medicina, compilati da *Annibale Omodei*. Mediol. 1826. Vol. XXXVII.)

(§§. 9. 10.; *praeservandi* mali variolosi scopo nihil aliud requiritur, quam insitio, juxta exposita hactenus praecepta instituta, quae, si ubivis locorum, omnique cum diligentia peragitur, ut vix ullus remaneat homo, qui recipiendi et regenerandi contagii variolosi sit capax, — omnis una *eliminatur* variolarum humanarum morbus. — Quia tamen providissimae dispositiones circa propagandam et rite administrandam rem salutarem suas in omni fere provincia inveniunt difficultates, ut adeo malum variolosum adusque saltem extinctum haud cernamus; civitatis cura eo porro dirigenda est, ut morbo dirissimo, hic aut ibi erumpenti, efficacissima protinus opponantur remedia. Ut autem consopiendi variolarum humanarum morbi obtineatur scopus, ejus et affinium exanthematum characteres et signa diagnostica ante omnia curatius notanda veniunt. His enim cognitis obtinetur, ut vera morbi natura ad originem illico dignoscatur, quo et congrua eidem opponi valent remedia.

§. 66.

Variolae humanae vere talis characteres.

Dirus ille exanthematicus morbus, qui sub nomine *variolarum humanarum vere talium* venit, contagio sui generis, e tropicis regionibus promanante, ac successu temporis per totum fere orbem disseminato, excitatur. Est autem id virus eo

magis horribile, quod parte ex una fixam prodat indolem, ut per plures annos rebus diversis adhaerere, et diu latere possit, quin contagiosam amittat vim, cum parte ex alia adeo est volatile, ut in aërem atmosphaericum raptum, ad majores propagetur distantias, et in corpora receptiva offendens, eadem protinus contaminet, suique generis morbosum in iis provocet processum. Potest hinc variolosa infectio triplici modo contingere: per contactum immediatum aegri, per corpora media, contagio inquinata, perque aërem atmosphaericum, contagiosa materie impraegnatum. Atrium infectionis hic est amplissimum, ut omnis cutis externae superficies ejusque ad internas partes productio, mucosa quippe tunica, ea praeprimis, quae vias aëreas vestit, virus variolosum facillime recipiat.

Regularis morbi variolosi decursus sequentibus absolvitur stadiis:

1. *Stadium opportunitatis* seu *delitescentiae*, quod inde ab infectionis momento usque manifestae invasionis periodum durat, pro circumstantiarum ratione, tempore et symptomatibus multum variat, ut susceptum variolosum virus vel paucis tantum diebus, vel duabus etiam septimanis et ultra latere in corpore possit, donec fermentationis suae edat signa. Prodroma haec symptomata plus minus laesam indicant valetudinem, et consistunt potissimum in morositate quadam et cor-

poris lassitudine cum somnolentia, siti et imminuto cibi desiderio ac aliis phaenomenis, e quibus collimare licet, morbum quemdam imminere.

2. Stadium *invasionis* seu *febrile* (ebullitionis, fermentationis, irritationis) febrium more cum horripilationibus, gravativo capitis dolore, anxietate, nausea ac vomitu orditur, et superveniunt nonnunquam apud infantes sopor, stridor dentium et convulsiones. His per 12—20. horas durantibus, cumque calore fugaci alternantibus, aestus febrilis comparet; turget facies, rubent, fulgent et illacrymantur oculi; irritata mucosa narium membrana, sternutatio frequentior concitatur; intenditur cephalea, quae sanguinis stillicidio e naribus saepe mitigatur; evolvuntur pro varia circumstantiarum ratione diversa, jam graviora, jam mitiora symptomata, quae circa vesperum augentur, noctu intenduntur, ac matutinis demum horis, subsecuta imperfecta crisi, mitescunt. Incerta adhuc est hac periodo diagnosis, nisi vigentes variolae, vel specificus halitus et sudoris odor imminentem variolarum eruptionem indicent. Rarioribus in casibus contingit, ut sola hac periodo, prolicito largo, et singulari odore praegnante sudore, omnis morbus variolosus feliciter superetur.

3. *Stadium eruptionis* seu *inflammationis* circa finem tertiae vel ad initium quartae diei ab invasione adoritur. Comparent nunc sub turgore cutis universae maculae parvae, circulares, rubi-

cundae, jam copiosae jam pauciores, discretae ve hic et ibi coagminatae, pullicum morsibus quadantenus similes, pruritu et ardore stipatae, quae mox inflammantur, et centro suo in papulam duriusculam elevantur, apice vesiculam, humore limpido et pallido turgentem, et foveola instructam, gerunt; insident vesiculae hae basi tumidae, durae, ac laete rubenti, cinguntur halone annulari fundo pallidiore, et increscunt magnitudine tanto fere magis, quo pauciores in eadem plaga effloruerint.

Ordo, quo variolae passim erumpere solent, sequens advertitur: comparent omnium primo in facie, serius ad collum, pectus, abdomen, dein ad extremitates superiores, demum ad inferiores. Solent quidem symptomata, ad summum fastigium perducta, exanthemate erumpente tantillo mitigari; quia vero inflammatio membranae mucosae oris, faucium ac viarum aërearum hac periodo sese evolvit, cumque non raro contingat, ut cavi oris et faucium partes variolis obsidantur, aliae frequenter comparent molestiae: raucedo, aphonia, dysphagia, affectarum partium dolor, salivatio, symptomata peripneumoniae etc. Absolvitur autem eruptionis periodus triduo plerumque, ut 4. 5. et 6. morbi diem comprehendat.

4. *Stadium suppurationis* (maturationis) eruptionis opere terminato, sexta aut septima hinc potissimum die, velut novus ingruit morbus. Tuber-

culis nonnullis interdum jam primis diebus penitus disparentibus, maxima pustularum pars eodem ordine, quo eruperunt, in suppurationem rapitur, ut magis protuberent, fundo latescant, et foveola deperdita, apice rotundo conspiciantur, aque isto basin versus pure turgeant densiore et flavicante. Absolvitur haec periodus, qua et maxima contagii vis evolvitur, triduo, ut pustulae in singula corporis parte 6. aut 7. a prima eruptionis die (9. vel 10. morbi) plenam consequantur suppurationem. Medio hoc tempore, donec pustulae ad basin usque pure replentur, et torosi earum margines colliquescunt, areolae, rosei prius coloris, profundius tinguntur, et augentur tumores intermedii, ut invicem confluant, omnisque cutis, quae simul arida est, tendatur, tanquam ex erysipelate intumescat, et doleat, quod quidem in facie praeprimis inque extremitatibus accidit, quo ea frequenter penitus deformatur, istae vero pro tempore immobiles redduntur. Variolis diverso tempore propulsis et maturescentibus, latex earum colore diverso, margaritaceo prius, dein cinerescente, ac demum alboflavescente, ludit, unde cutis multum variegata visitur. Evolvitur hac sub periodo vehementior saepe *suppuratoria febris*, et spirat transpiratio aegrorum specificum quemdam, ingratum, mucidum ac subdulcem odorem. Absoluta demum puris genesi, inflammatio minuitur, disparet halo

ruber pustularum, cutis universa detumescit, et febris comes sub felici rerum progressu, crisibus salutaribus praecipue conspirantibus, manifeste frangitur.

5. *Stadium exsiccationis*, octava aut nona exanthematis, morbi vero undecima vel duodecima die occipit, ut eo rursus ordine, quo tubercula eruperunt, omnium igitur primo in facie, variolae arescant. Rumpuntur quippe nunc et collabuntur pustulae, pisi ad instar hactenus prominentes, cum aliae sine ruptura arescunt; materies lymphatico-purulenta, quae hic et ibi exstillat, aëris contactu in crustas densatur irregulares, majores aut minores, bruneo aut fusco colore notatas; sub crustis his, majores saepe plagas tegentibus, nova frequenter colligitur materies, quae sub pruritu majore tegmen crustosum sublevat, quo decidente, nova eschara saepe generatur. Crustis tandem decidentibus, maculae remanent in cute, aliquo adhuc tempore elevatiores, profundius rubentes aut cuprei coloris, prurientes, et diu adhuc conspicuae; in aliis vero casibus cicatrices remanent perennes, et alta nonnisi aetate delendae. Mitescit sub hoc stadio febris cum ceteris symptomatibus, et redit pedetentim sanitas, nisi morbi gravitas aut perniciosa indoles, ut proh dolor! frequentius contingit, aegrum prioribus jam periodis perimat, vel in mala posthuma conjiciat.

§. 67.

Variolarum humanarum anomaliae.

Est quidem nunc expositus variolarum humanarum decursus consuetus potissimus; occurrunt tamen et hoc in morbo *anomaliae* non paucae ac *complicationes* plurimae, faciem ejus multum alienantes. Praecipuae anomaliae hujus morbi in tres recedunt ordines: aliae quippe repetuntur a *febris charactere*, quae exanthematicum hunc comitatur morbum. Potest autem febris eadem, inflammatoriae generatim indolis, characterem inducere *eminenter inflammatorium*, vel *nervosum*, *septicum* aut *gastricum*. Respectu *exanthematis* vel admodum *paucae* et *discretae*, vel *copiosae* occurrunt, saepe *confluentes* pustulae; alias pustulae forma sua differunt, ut hoc ex obtutu occurrant variolae *serosae* seu *crystallinae*; *lymphaticae*; *ichorosae*; *sanguineae* seu *haematodes*, etiam *scorbuticae* dictae; *emphysematosae*; *siliquosae*; *depressae*; *verrucosae*; *parvae* seu *miliares*; *magnae* seu *bullosae*. Denique et stadia hujus morbi, *velocius* aut *lento gressu* procedentia, vel *perturbatus eruptionis ordo*, insignes saepe addunt differentias *).

*) Conf. *J. P. Frank* Epitome Lib. III. §. 328—333. — *Jo. Bapt. Burserius:* Instit. medic. pract. Edit. nova. — Lips. 1787. Vol. II. Cap. IX. — Sam. *Gottl. Vogel's* Handb. d. pract. Arzneywissenschaft. Zweyte Ausg. Stendal. 1794. III. Th. I. Cap. §. 10. sq. — v. *Raimann* l. c. §. 720. sq. — ab *Hildenbrand* l. c. §. 432. sq. — *Richter.* l. c. p. 285. sq.

§. 68.

Variolarum spuriarum seu varicellarum characteres.

Maximam habent *variolae spuriae* seu *varicellae*, cel. *C. F. Harless* v. *hybridae* dictae, cum variolis humanis vere talibus affinitatem, ut igitur diversae hae exanthematum species a minus peritis facile confundantur, quo et majori saepe damno praebetur occasio. Dum quippe variolae spuriae pro veris habentur, variolae tutoriae virtus in dubium vocatur (§. 13. 1.), siquidem haec varicellas nullatenus praecaveat, quemadmodum et variolis veris defuncti a hybridis inficiuntur. Nec minora pericula adfert, ubi variolae verae pro varicellis habentur, quo cura efficacior negligitur, et latius diffundendo pernicioso contagio conceditur opportunitas. Interest igitur quam maxime, ambos morbos ab invicem probe distinguere.

Commune quidem est varicellis cum variolis vere talibus, quod contagiosum et pustulosum aeque constituant morbum, qui per certa decurrat stadia; differunt tamen variolae spuriae a veris sequentibus characteribus:

I. Quod *contagiosam* concernit varicellarum indolem, haec id sibi proprii habet, quod semel evoluto eo morbo, idem mox latius diffundatur, et homines cujusvis aetatis, etiam variolas huma-

nas perpessos, et vaccina genuina defunctos, ut dictum, perinde invadat, quodve saepe hominem eundem iteratis vicibus impetat. His accedit, quod variolae spuriae veras, epidemice praecipue vigentes, praecedere aut sequi, et saepe etiam comitari soleant. — Variolae legitimae vero, si a rarissimis recedatur casibus, semel tantum invadunt hominem, quemadmodum et genuina vaccina tutum est contra eas praesidium.

II. Relate ad *decursum* sequentes in variola spuria notantur differentiae:

1. Praecedente levi eaque catarrhali febricula, aut omni plane febrili motu absente, altera jam die exanthema sub forma macularum parvarum, rubicundarum erumpit, et tumescit facies sub hac eruptione, qua terminata, tumor disparet; contra in variola vera facies tunc demum intumescit, ubi eruptionis processus terminatur.

2. Deficit hic constans ille eruptionis ordo, qui in variolis veris advertitur: etenim intra nychthemeron omnis plerumque absolvitur efflorescentia, nec semper initium sumunt maculae in facie, verum hic et ibi, ut dorsum et extremitates eminenter occupent. Maculae praeterea cito increscunt, vertuntur in vesiculas vel pustulas, humore puriformi aut lymphatico turgentes.

3. Attingunt varicellae quadriduo maturitatis culmen, quo tempore elapso arescere jam inci-

piunt, ut totus morbus intra septem dies terminetur, et febris secundaria, quae suppurationem comitetur, penitus desit.

4. Contingit frequenter, ut variolae spuriae primum erumpentes mox siccentur, et nova iterum succedant tubercula, queis arescentibus rursus nova efflorescant, hacque ratione morbus, nulla febre stipatus, per aliquot hebdomadas producatur.

5. Quamvis varicellae in plerisque casibus mitissime decurrant, ut vel nulla, vel adeo levis, eaque ephemera febris, prima nonnisi die advertatur, et morbus lenissimus aegros nequidem decumbere cogat, nec ullas post se trahat sequelas; contingit tamen nonnunquam, ut variolae spuriae, epidemice praecipue grassantes, vehementi stipentur febri, gravibus etiam symptomatibus incedente, ut aeger in periculum adducatur, ipsaeque pustulae, ad basin intentius inflammatae, occulos, nares, cavum oris ac faucium, et genitalia infestantes, in ulcera saepe abeant pravae conditionis.

Gravius igitur errant ii, qui omnem exanthematicum, variolis humanis analogum morbum, qui perniciosis symptomatibus stipatur, pro varioloso vere tali declarent. Constat enim observationibus, varicellam in America septemtrionali et aliis orbis partibus tempore recentiore mojorem edi-

disse stragem *), et spurias variolas, in provinciis nonnullis pro legitimis habitas, atque sic tutoriam vaccinae vim improvide diffamatam fuisse. Utrum autem varicellae malignae, in America nuper observatae, ut *Moreau de Jonnes* autumat, distinctum constituant morbum, per contagium quodpiam, recentius ex Asia meridionali allatum, excitatum, anve idem sit exanthema cum variolis spuriis, in Europae provinciis dudum observatis, necdum liquet; certum tamen est, utramque morbi formam variolis legitimis aut vaccina praegressis manifeste mitescere.

III. Differt ipsum etiam varicellae *exanthema* a pustulis variolarum verarum. Pauciores enim pustulae in hoc morbo passim producuntur, ut ultra ducentae in corpore universo, ac ultra duodecim in facie vix numerentur (*Heberden*). — Plene efformata variola spuria mollis tangitur, est piso dimidiato similis, ut cum cute angulum fere rectum efformet; variola vera dura et elastica tangitur, et habet formam ovalem, quae cum cute angulum magis acutum constituat. — Varicellae sponte rarius rumpuntur, incisae parum humoris lente effundunt, et vacuatae non replentur amplius;

---

*) *Moreau* de *Jonnes* (in Buletin de sciences medec. Decem. 1826. — (*C. F. Harles:* Neue Jahrbücher der deuts. Medicin u. Chirurgie. Zweyter suppl. Band. Hamm. 1827. p. 202—212.)

variolae verac sua sponte saepe rumpuntur, incisac laticem velociter exonerant, ct replentur rursus. — Spuriae variolae humorem continent minus densum, minus viseosum ac minus purulentum, tenuem potius et laeti similem. — Varieellae diseretae cernuntur, cum variolae vcrae frequenter confluunt. — Variolae spuriae pruritum majorem provoeant, verae contra eruptionis ct suppurationis tempore ardorem potius, nec citius, quam sub areseentia, ad fricandum invitant. — Quamvis varicellae profundius rubeant initio, eutis tamen ad basin earum nusquam intumeseit, cum in variolis convexus quidam tumor post erustae separationem adhuc advertitur. — Crustae varieellarum tenuiores et orbieulares, variolarum vcre talium crassiores et magis ovales eernuntur, et remanent in his maeulae rubrae, quae longius persistunt ac in prioribus. — Dcnique dieit cel. *Heim*, qui varieellarum diagnosin ad majorem adduxit certitudincm, peculiarcm essc his pustulis odorem, qui a proprio variolarum odore penitus differat, verbis tamen describi non possit.

Occurrunt praeterea tres varieellarum varietatcs:

a) *Varicellae aquosae* seu *crystallinae*, a eel. *Willan lenticulares* dietae (Germ. Wasser- oder Windpocken; Angl. Chikcn - pox): prodeunt prima die noduli fere circulares, rubri, superfieic aequali et splendente, media parte mox in vesiculam acuminatam abeuntes; die altcra vesiculae

humore pellucido replentur, et recipit latex die tertia subflavum colorem; die quarta vesiculae nonnullae apice rumpuntur, et arescunt aliae, marginibus corrugatis; sexta die formantur crustulae bruneae et tenues, quae dein flavescunt, et circa octavam diem decidunt, rubras maculas sine foveola relinquentes. Ubi harum pustularum lympha puriformis redditur, variolis veris multum similes apparent.

b) *Varicellae acuminatae, verrucosae, conoideae Willani* (Spitz-Stein-oder Warzenpocken) prominent colliculorum instar, verrucarum ferme habentes duritiem; visuntur prima eruptionis die acuminatae, et continent nunc lympham diaphanam, quae die altera stramineum induit colorem; sunt circulo inflammatorio circumscriptae; die tertia corrugantur, et pustulae ruptae, apicibus crustulam gummosam gerunt, a lympha exsudata ortam; quae clausae permanent, circulum magis inflammatum exhibent, et continent humorem purulentum; quarta aut quinta die crustae diversi coloris et semipellucidae arescunt et decidunt, perpetuas cicatrices relinquentes.

c. *Varicella suillae* seu *ovillae*, *globatae Willanii* (Germ. Schwein- oder Schafspocken, Angl. Swin-pox, Hives) exhibent pustulas variolis veris saepe majores, ferme hemisphaericas; halone rubello cinctas, initio humorem diaphanum, serius vero flavidum ac turbidum continentes; die tertia

pustulae collabuntur, formant crustas nigricantes, post quinque dies dcciduas, hic et ibi foveolas relinquentes; dum et quando pustulae hae abeunt in ulcera phagedaenica, quo et notabiliores remanent cicatrices.

Dum et quando omnes hae varicellarum varietates, quae tamen natura sua differe haud videntur *), observante *Muhrbeckio*, in uno eodemque aegro concurrunt, efflorescunt simul, vel succedit una alteri. Demum et illae pustulae, quas plures scriptores *vaccinam modificatam* seu *variolam vaccinicam* appellarunt, nihil aliud esse videntur, quam varicella **).

IV. Denique *cicatrices* quoque sua habent a cel. *Heim* indicata ***), signa distinctiva: a) Varicellae pauciores generatim relinquunt cicatrices quam variolae verae, ut vix ultra viginti numerentur, quae in facie potissimum, circa nasum praesertim et in fronte, visuntur. b) Variolarum spuriarum cicatrices fundum exhibent magis candidum ac reliqua cutis, et ita levigatum, ut testa ovorum cernitur, nec advertuntur in his cavationes quaedam aut puncta nigra. — Variolarum vere talium cicatrices colore non differunt a cute reliqua, sunt fundo inaequali, cortici citri simili, et distinguun-

---

*) de *Raimann* l. c. p. 123.
**) ab *Hildenbrand* l. c. p. 284.
***) *Helm:* über die Diagnose der falschen Pocken etc. (Horn's Archiv. von 1809. VII. Bd. 2. Heft.)

tur in iis puncta nigra duo aut tria, ac plura etiam in majoribus. c) Ubi varicellarum cicatrices in pilosa quadam parte nascuntur, depiles manent; variolarum cicatrices vero aliquot saltem pilos producunt. d) Margines spuriarum cicatricum convexi, rotundati, cuti concolores cernuntur, et si rugas aliquas exhibent, hae margine extenso disparent; verarum margines sunt crenati, nec in longum distracti levigantur. e) Figura cicatricum, a varicellis ortarum, orbicularis potissimum aut ovalis, et tunc tantum angularis observatur, ubi duae in se mutuo confluunt; variolarum cicatrices crenatae plurimum, plicatae, et diversis angulis distractae cernuntur. f) Varia denique est cicatricum spuriarum profunditas, major quippe in collo et facie ac in ceteris partibus; tractu temporis cum cute reliqua exaequantur, vel prominent plane ultra illam, in ventre praecipue et dorso; color tamen candidus earum perpetuo remanet. — Variolarum verarum cicatrices aetate increscente ita minuuntur, ut, cuti ceteroquin concolores, nec vestigium amplius relinquant *).

*) *Richter* l. c. p. 342. sqq. — *Willan* l. c. p. 62. sqq. et Tab. II. — *Joh. Ant. Neurohr:* über natürliche Blattern und Varioloiden, in Beziehung auf Schutzpoken. (*Henke's* Zeitschrift für die Staatsarzneykunde. VIII. Jahrg. II. Virteljahrheft. 1828. p. 259—282. et p. 294. — 339.) *Jahn:* Zur Diagnostik der Blatterkrankheit.

§. 69.

Variolarum Communium cura.

Quanto majorem variolae humanae vere tales, vel spuriae etiam, humano generi inferre possunt stragem, tanto majorem quoque personarum medicinalium et Magistratuum exigunt curam. Quaenam methodus medendi in singulo morbi varilosi casu sit adhibenda, ratio et experientia determinabunt, nec necessum est hoc loco monere, curam omnem epidemiae genio, naturae, vehementiae et stadio morbi, atque individuae constitutioni accommodandam ubique esse. Juvabit vero ea, quae scopo cohibendae uberioris variolarum propagationis adhibenda jubentur, his demum subjungere.

§. 70.

Politico-medici ordines circa cohibendam variolarum humanarum propagationem.

Siquidem variolae communes inter morbos contagiosos referantur, qui humano generi majo-

---

(*Nasse's* u. *Wagner's* Arch. f. d. med. Erfahrung. Berl. 1827. Nov. Dec. p. 951. sq.) — Dr. *F. Küster:* Beytrag zur näheren Kenntniss der Varioloiden etc. (*Horn's* u. *Nasse's* Arch. f. med. Erfahr. 1828. März. Apr. p. 235—268.) — Ad. *Henke's* Zeitschrift für die Staatsarzneykunde. XV. Bd. — Dr. *Reuss:* Uiber d. Natur u. d. Verlauf einer modificirten Pockenkrankheit, welche die Aerzte Varioloid nennen. (*Henke* l. c. Jahrg. 1828. 4. Vierteljhft. p. 227—277.) — Dr. *Franke's* Erfahrungen üb. wahre u. modificirte Menschenblattern und über den Erfolg wiederholter Kuhpockenimpfung. (ibid. p. 278—310.).

ra adferunt pericula; Civitatis cura eo omni tempore erit dirigenda, ut saevissimi ejus morbi, hic aut ibi evoluti, propagatio sollicite impediatur. Redeunt autem regulae, altissimo loco eatenus praescriptae, ad sequentes ordines:

1. Cum homines vagi, de loco in locum migrantes, aut secus peregre proficiscentes, contagiosos morbos in genere, atque variolarum humanarum contagium speciatim propagare soleant; localibus Jurisdictionibus summa eatenus injungitur vigilantia. Erunt hinc judices locales et reliqui publicae securitatis vigiles omni tempore intenti, ne variolosum contagium per homines vagos vel peregrinantes communitati inferatur, quem in finem curae sibi habebunt: ut infantes vel adulti homines, morbo quodam exanthematico affecti, seu in domibus privatis detineantur, seu in publico deversorio hospitentur, separati teneantur; ut conclavia, lecti stragula et alia utensilia, de suscepto contagio suspecta, post discessum aut mortem talium hominum praescripto modo sollicite repurgentur; ut funera similium juxta altissimam ordinationem tractentur, utque omnis ejusmodi casus competente loco, Medicis item ac Chirurgis, in publico munere constitutis, sine omni mora insinuetur *).

---

*) Ben. Decr. Aul. de 24. Aprilis. a. 1824. Nro. 6,053. Int. d. 4. Julii a. 1806. Nro. 17,186. 4).

2. Injungitur sub graviori responsionis onere iisdem localibus Jurisdictionibus, Medicis et Chirurgis, ac mortuorum revisoribus, et ipsis privatis etiam hominibus, in quarum domo variolae humanae erumpunt, ut omnem erumpentis hujus morbi casum concernenti Magistratui ac medicis personis, causa faciendarum necessarum politicarum dispositionum, et recipiendae congruae medelae, protinus insinuent *)

3. Ubi casus ejusmodi publico Magistratui delati fuerint, seu sporadicae hic aut ibi observentur variolae, seu epidemice plane vigeant, Jurisdictionis Physicus, aut hoc quoquomodo impedito, districtualis Chirurgus illico exmittendus erit cum eo, ut in vigentis morbi speciem indaget, congrua remedia partim solus ordinet et adhibeat, partim vero a magistratualibus personis ordinanda determinet, et super his omnibus concernente loco sine mora referat **).

4. Personarum medicinalium autem erit: ante omia morbi vigentis speciem et formam diligentius indagare ac determinare, an idem variolosus omnino sit nec ne? an in casu priore variolae sint vere tales, vel spuriae? His determinatis, ad ano-

---

*) Instruct. de revisione mortuorum a. 1827. Nro. 29,151. intimat. §. 16.

**) Ben. Decr. Aul. de 22. Julii a. 1796 Nro. 7,781. Circ. Int. de 9. Aug. ejusd. a. Nro. 17,287.

malias peculiares et febris comitivae indolem, ad complicationes et individuam constitutionem (§. 66—69.) advertent, ut curandi ratio, cuique aegro et morbi stadio conveniens, iniri queat. Ordinatis nunc congruis pharmaceuticis et diaeteticis remediis, ea actutum institui sollicitabunt Medici et Chirurgi, quae in morbis epidemicis, et contagiosis de altissimo jussu generatim praescripta sunt *). Praestabunt dein usque dum variolae penitus extinctae fuerint, periodicas relationes, forma praescripta exaratas **), iis distincte notatis, qui vaccina prius insiti, variolis forte correpti, vel ex iis plane mortui sint ***). Hae autem relationes per concernentem Magistratum Consilio Regio Locumtenentiali sine mora submittentur.

5. Ut autem contagii variolosi propagatio efficacius cohibeatur, sequentia ordinanda et strictissime observanda jubentur:

a) Aegri variolis communibus laborantes a sanis hominibus ita separandi, ut omne hominum haud necessarium commercium cum iis impediatur. Non enim sufficit, proles, variolas nondum per-

---

*) Int. de 19. Junii a. 1787. Nro. 22,348. Ben. Decr. Aul. de 7. Martii. a. 1806. Nro. 1,687. Int. de 18. Mart. ejusd. a. Nro. 4,761. et de 22. Aug. a. 1809. Nro. 15,263.

**) Circ. Int. de 1. Aug. a. 1815. Nro. 22,027. item de 8. Aug. a. 1826. Nro. 19,747.

***) Circ. Int. de 4. Julii a. 1826. Nro. 17,186. 1.) item de 9. Octobr. a. 1827. Nro. 26,401.

pessas, a talibus aegris arcere, siquidem contagium variolosum etiam per homines, in contaminata admosphaera breviore saltem tempore commorantes, facile circumferatur *).

b) Postquam aegri tales convalescunt, vestimenta eorum, lecti stragula, cubile, in quo decubuerunt, et quaevis utensilia, viru varioloso forte contaminata, lixivio acriore lavanda, suffitu minerali perfumanda, et longius aëri libero exponenda. Eadem sollicitudine res illorum, qui ex variolis demortui sunt, antequam in usum aliorum convertantur, repurganda.

c) Cavendum praeterea, ne lòtrices communes contagium variolosum, in majoribus praecipue urbibus, disseminent. Cautum itaque est, vestes, promiscue lotas, vigente epidemia variolosa prius adhibere, quam suffitu minerali (sulphure et nitro) perfumatae, et libero aëri longius expositae fuerint **).

d) Convalescentes ex morbo varioloso ante perfectam pustularum exsiccationem et crustarum se-

---

*) Congrua est dispositio, quae in aliis obtinet provinciis, cum domus designantur, in quibus variolae vigent. Exponitur quippe tabula cum inscriptione:

W a r n u n g.

Hier sind bey N. N. die bösartigen Blattern.

**) Circ. Int. de 30. Maji a. 1826. Nro. 13,922. Observanda circa febrim scarlatinam §. 1.

parationem, quod circa decimum octavum diem contingere suevit, ad aliorum hominum consortium, minime vero ad templa, scholas, aut alia loca admittendi, ubi homines majori confluere solent numero. Vigilabunt praeterea locales Magistratus, ne parentes in prolibus suis, variolas perpessis, necessariam negligant munditiem, neve eas liberas prius dimittant, quam vestibus debite repurgatis fuerint provisae.

e) Cadavera demum hominum, ex variolis demortuorum, visui haud exponenda, et mox sine hominum confluxu sepelienda *).

6) Constat denique, variolae tutoriae insitionem vigente morbo varioloso maximum esse praesidium, quo infantes necdum infecti a malo variolarum verarum praecaveantur, et diro contagio efficaces ponantur limites. Utilis praeterea est insitio, ubi contagium variolosum in corpore jam latet, modo una aut altera die ante eruptionis periodum instituatur; mitior enim tunc redditur variolarum decursus, quemadmodum et varicellae, vaccina quidem haud praecavendae, praegressa variola tutoria, malignam naturam nunquam fere induunt **).

*) Circ. Int. d. a. 1827. Nro. 29,151. Instructio pro mortuorum revisoribus. §. 15.

**) *Moreau de Jonnes* l. c.

Jubetur hinc quibusvis publicis Jurisdictionibus, ut in casibus erumpentium hic aut ibi variolarum humanarum Medicis et Chirurgis communem vaccinae insertionem, in locis contagio infectis, hisque vicinis protinus peragendam, committant. Oportet tali in casu, nullo habito tempestatis aut anni temporis respectu, omnes variolis capaces, una tamen sanos infantes, genuina vaccinae lympha confestim inserere *), et insitos, donec vaccina perfecte evoluta fuerit, suamque tutoriam exseruerit virtutem, a contagii variolosi periculo sollicite custodire.

---

*) Circ. Int. d. 30. Nov. a. 1813. Nro. 28,769. item de 4. Julii a. 1826. Nro. 17,186. 4).

Exempl. sumtibus auctoris recusum.

Tabellaris Relatio

De Vaccinae insitionibus, in locis adductis sub decursu anni solaris 18 per infrascriptum susceptis.

Designatio Comitatus, Loci, Civitatis.	Nrus currens.	Nomen Vaccinatorum, Designatio Parentum.	Religio.	Aetas insitorum.	Parentes. Opulentiores.	Parentes. Egeni Contribuentes.	Insitionis Mensis et Dies.	Punctionum factarum. Nrus	Fomes Vaccinae.	Reactio universalis.	Effectus localis.	Dies revisi Vaccinati.	Sostrum obveniens ex cassa publica in Mon. Conv. fl.	Sostrum obveniens ex cassa publica in Mon. Conv. xr.	Nrus necdum vaccinatorum, nec variolas perpessorum.	Observationes peculiares.
	1.	Antonius, filius Josephi Mészáros, Coloni.	Rom. Cathol.		—	Egenus Colon.		Nro. 4.	Recens.	Febris, pustulae varioloideae, etc.	Pustulae genuinae; quatuor.		—	6		
	2.		Aug. Confes.		Opulentior.	—		ddo.	ddo.		ddo.		—	—		
	3.		Helv. Confes.		ddo.	—		ddo.	Siccus uno mense asservatus.		3 pustulae spuriae.		—	—		
	4.		Rom. Cathol.		—	Egenus Contr.		ddo.	ddo.		4 pustulae genuinae.		—	6		
	5.		Aug. Confes.		—	ddo.		ddo.	Recens.		ddo.		—	6		
	6.		Judaic.		—	ddo:		ddo.	Recens.		nullae.		—	6		
Summa	6.				2	4							—	24		

Infrascriptus recognosco, insitiones in locis designatis cum exposito effectu rite peractas, et insitos debite revisos esse, atque eos qui inter egenos Contribuentes relati habentur, vere tales esse.

Signatum N. Die Anno

N. N. et Character.

N. N. Insitoris Physicus ordinarius.
Aut ddo. ddo. Chirurgus Districtualis.
— ddo. ddo. Medicus privatus.
— ddo. ddo. Chirurgus privatus.

This page has been intentionally left blank

Forma
Schedae adhortatoriae,

cujus usus §. 39. exponitur.

A' Matricula' Száma.

Keresztény Szülök!

Apostoli Felséges Királyunk, Hazánk' legkegyelmesebb Attya' nevében, N. szülöttetek Szent Keresztsége alkalmatosságával, ez eránt, az Isteni gondviselés által reátok bízott kisded eránt való, föfö szülöi kötelességtek' tellyesítésére intettek: tudni illik, hogy ötet a' legelsö alkalmatossággal beoltatván, a' tehénhimlö által a' legírtóztatóbb betegségtöl, az emberi himlötöl oltalmazzátok meg.

Matric. Nrus.

Christliche Eltern!

Ihr werdet im Namen des allergnädigsten Landesvaters, Seiner Apost. Majestät des Königs, bey der heiligen Taufhandlung eures Kindes N. ermahnt, eine der vorzüglichsten Elternpflichten an dem, von der göttlichen Vorsehung euch anvertrauten Kinde zu erfüllen: dasselbe nämlich bey nächster Gelegenheit einimpfen, und durch die Kuhpocke gegen die schrecklichste aller Krankheiten, gegen die Menschenblattern, verwahren zu lassen.

This page has been intentionally left blank

Túlfelöl megnevezett gyermek, N. N. Fia, (Leánya), alól írt által 18 Esztendö Hórapja Napján, annak rendi szerént beoltatott, és többszöri nézegetés és visgálás közben, rajta valódi tehénhimlö látszott.

Költ N.

N. N.

Jenseits genanntes Kind, Sohn (Tochter) des (der) N. N. wurde durch Gefertigten am des Jahres vorschriftmässig geimpft, und hat bey wiederhohlter Besichtigung die echte Kuhpocke dargewiesen.

Sign. N.

N. N.

This page has been intentionally left blank